MANCINVS
DE QVATVOR VIRTVTIBVS.

Petri Carmeliani Hex-
ASTICHON IN DOMI
*nici Mancini de quatuor car-
dineis virtutibus libellum.*

*¶ Qui cupit eximios mores, vitamq́; beatam
Noscere, Mancini carmina docta legat.
Cardineas libro virtutes quattuor vno
Is bene describit, moribus assimulans.
Mancino cedant Curij cedantq́; Catones,
Ædita vel quorum scripta fuere priùs.*

Excudebat Thomas Marsh.

1584

Cum priuilegio

Dominicus Mancinus ad Lectorem, de libro suo.

QVatuor astringit virtutes iste libellus,
Perplacido ductu, perfacilique pede.
Peruius est rudibus pueris teneriscq; puellis,
Quos etiam mater fomite lactis alit.
Peruius & senibus, quos olim crassa vetustas
Eduxit, quando barbara lingua fuit.
Hunc matrona suas ancillas casta docere,
Hunc possit sponsæ vir recitare suæ.
Hic nullum fugiat, non tedia conferat vlli,
Si quocunq; modo prima elementa sciat.
Noscere parisy librum properate recentem,
Sanctius, vtilius hoc nihil esse potest.
Quid fieri deceat, docet hic, per tempora vitæ,
Et, fieri vt possit, hic quoq; rite docet.
Nec rogitat pro se, lector, te tradere nummos,
Sed rogat vt videas, tunc habet ipse satis.
Sponte tamen si quis modico sibi comparet ære,
Nil quicquam vtilius credat habere domi:
Sin verba & sensus memori sub pectore condat,
Thesauros magnos intus habere putet.
Nil melius Latys portat mercator ab oris,
Nil quicquam melius bibliopola tenet.

Vale

DOMI-

DOMINICI MANCINI IN LIbrum de quatuor virtutibus ad FEDERICVM Seuerinatem Episcopum Maliacensium Præfatio incipit.

NOn mea fert ætas iuueniles, edere lusus:
Quos q3 solet vulgus cõmemorare iocos:
Non etenim salib9 cani sunt mollib9 apti,
Nec deceat iuuenũ telo mouere senẽ.
Quàm turpe est, cano surgunt cui vellera mento,
Si pueris mixtus iactet & ipse nuces?
Quàm male conueniat, teneros si laudat amores
Vel Cato, vel Curius, Fabriciúsue grauis?
Non homini ceruix aliter concressit equina,
Quàm si non proprium sumo serit officium.
Non bene saltantis personam sustinet ille,
Compede qui longa comprimitur q3 graui.
Quàm meritò volucres cornici illudere certent,
Si certet cygno, vel philomena tibi?
Non etiam sanctus, quo ascribor, postulat ordo,
Et votum fidei, religioq3 sacra:
Me nisi res sanctas perscribere, tum meditari,
Deq3 fide sancta, catholicaq3 loqui.
Cur etenim quisquam sacris, cœloq3 dicatus,
A sacris mentem dimouet vsq3 suam?
Militiæ ascriptus vir semper cogitat arma:
Mercator cupidus mente volutat opes.
Presbyter at debet vitijs indicere bellum,
Et populum summo conciliare Deo.

Debet & exemplis reuoc are, & voce ruentes:
Inq3 ſuo ſtantes c onſolidare gradu.
A cauliſq3 lupos vigilans arcere rapaces:
Et circum ſemper aduigilare gregem.
Fœdius haud quicquam quàm ſi ſit ſcurr.i ſacerdos,
Aut ſi præduri militis arma gerat.
Sed non fœda minus res eſt, ſi moribus ipſis,
Fabula ſit vulgi ridiculumq3 caput.
Aut ſi continuæ rixæ, violentia, lites,
Iurgia, vis, fraudes, furta, rapina, placent.
Sed neq3 te quicquam mulcet Federice legentem,
quod procul à ſanctis moribus eſſe vides.
Nil etiam docta iucundius aure capeſſis,
Quàm tibi quod ſancta charta miniſtrat, opus.
Sic etenim mitis tua fert natura benigno
Sydere coniuncta, ſydera ſiqua valent.
Sic ſtudia expoſcunt, iuuenis quæ ſemper amaſti:
Et quæ nunc doctus vel vehementer amas.
Sic etiam comitas doctorum iuncta virorum
Admonuit lateri nocte dieq3 tuo.
Hortantur veterum ſic te monumenta tuorum,
Aedidit innumeris quos Seuerina domus.
Deniq3 res geſtæ quondam, laudesq3 paternæ
Semina virtuti ſunt quoq3 magna tuæ.
Sed, modò quæ geſſit dux belli & pacis amator,
Virtutem faciunt illa virere magis.
Incrementa velut præſtant plantaribus imbres,
Aere cùm verno ſole repente cadunt:
Sic tu, dum ſpectas virtutes ipſe paternas:

Fomen-

Fomentem magnam das Federice tuis.
Si quis gesta velit nunc scire recentia patris:
Hæc ego docturum me ratione negem.
Non etenim possim paucis concludere verbis,
Tum neq; narrandi commodus iste locus.
Nam propero primos quos capi intendere cursus,
Vt dicam, quare non ego scribo iocos.
Scilicet hæc causa est, humeris quòd sarcina nostris,
Nec digna est sanctis auribus illa tuis.
Propterea, quantum potui, grauiora petiui:
Quæq; tuo possint aptiùs ore legi.
Quippe quòd ardebã nostram te noscere mentem,
Præstare & fidei in te monumenta meæ:
Quattuor en scripsi virtutum munera versu,
Quæ deceant homines, quæ probet ipse Deus.
Hæc tibi conueniunt: hæc sunt tibi debita, tanquam
Nuper de sancto fonte profecta tuo.
Tu, velut exemplar scriptorum & forma meorum:
Quod bene conscripsi, plenius ipse facis.
Hæc alios, non te poterunt mea scripta monere,
Scripta monent alios, tu mea scripta mones.
Et maiora licet sacro sub pectore verses:
Nostra tamen legito, cùm datur ipsa quies.
Non aquila aërias semper petit ardua nubes,
Proxima sed terris illa aliquando volat.
Sic tu, cùm cessant grauiores pectore curæ;
Præsta aliquid musis, carminibusq; meis,
Lætabor, tanto si nostra legantur ab ore,
Et fiant lima saepe meliora tua.

Prima canenda venit mater prudentia rerum,
Iustitia hinc lumen mox trahit alma suum.
Post animus magnus, dura omnia ferre paratus,
Scribitur, in fine mens moderata mihi.
Quattuor hæ currum totidem fecere rotarum,
Quem si quis scandat, magnus & altus erit.
Nec minus à cunctis spectabitur ille triumphans,
Quàm toto si quis victor in orbe foret.
Hunc currum rari reges egere, ducesq́,
Rara etenim virtus esse quaterna solet.
Ergo recognoscas tete, mea scripta legendo,
Te tanquam in speculo, dum legis ipse, vide.
Censor ades: nunquid, propero dum fingere formam,
Mens bene quod videt, est imitata manus.
Sed iam virtutum seriem narremus ab ortu:
Principijs notis, omnia clara magis.

Vale

DE QVATVOR FONTIBVS honestatis: qui à ratione habent originem.

PRincipio omnipotens, cœlum terramq́ creauit,
Et statuit proprijs cuncta elementa locis.
Hinc cœlum ornauit stellis, & gramine terras,
Aera pennatis, pisce repleuit aquas.
Inde hominem faciens similem sibi, subditit illi
Omne animans, terris imperiumq́ dedit.
Hunc & participem rationis fecit, vt illa
Differat à reliquis dissociante feris.
Hic igitur tanto rationis munere fretus,

Scrutatur

Scrutari incepit omnia mente ſua.
At dum præteritis, quæ ſunt præſentia, nectit,
Qualia ſint certò mente futura videt.
Propterea q̃ parans illis quodcunque neceſſe eſt,
Prudentis meruit nomen habere viri.
Atque eadem ratio multos coniunxit in vnum,
Colloquij cauſſa præſidij q̃ ſimul.
Impulit & cœtus cogi parere iubenti,
Vrbibus & poſitis viuere lege viros.
Præcipium in ſobolem patribus generauit amorem,
Inq̃ alios ſicut ſanguinis ordo iubet.
Hinc patres curant gnatos omni arte tueri,
Hinc gnati patres pro pietate colunt.
Hæc iubet officijs homines certare viciſſim,
Inq̃ vicem aduerſis rebus adeſſe iubet.
Hæc inter populos, & Reges fœdera nectit:
Hæc inter raros iungit amicitias.
Plus tamen officijs certant, opibus q̃ ferendis,
Qui, donante Deo, plus rationis habent.
Sic hominum comitas firmata, & viribus aucta eſt,
Sic aucta imperia munere iuſtitiæ.
Præterea innata eſt ex hac ratione cupido
Mentibus, vt ſemper abdita noſſe velint:
Vt verum, ſimplex q̃ bonum deprendere curent,
Et poſtquam norint, id vehementer ament.
Quippe quod eſt homini maior non vlla voluptas
Illa, qua diſcit, continue q̃ ſapit.
Sæpe igitur veri ſic feruet amore reperti
Mens, nihil vt duri reſpuat illa pati.

Casibus haud vllis, non vllo victa labore:
Pro vero est morti nescia terga dare
Tertia sic virtus mens alta, & magna vocata est:
Quae semper custos simplicitatis adest.
Nec parua illa quidem vis est rationis habenda,
Per quam nos nimium cernere pulchra iuuat.
Quantus ineſt ordo rebus, vel quanta venustas,
Solus homo solers percipit atq; videt.
Hanc igitur faciem mundi, formamq; decoram
Cum sapiens spectat, diligit atq; probat.
Tum secum loquitur. Quanto res pulchrior esset:
Si tantus nostris moribus ordo foret.
Propterea exemplo rerum componere mores
Nititur, atq; animo tradere tale decus.
Ergo nihil sordis, nil & committere inepti
Prouidet: & nullam prorsus habere notam:
Ne quid vel nimium faciat, vel pondere mancum,
Sitq; decus rebus, temporis, atq; loci.
Deniq; sic animo virtus moderatio surgit:
Ordine quae quarto communeranda loco est.
Quattuor has igitur partes comprehendit honestum
Quas omnes ratio conficit ipsa tibi.
Sed Deus hanc homini rationem contulit auctor:
Naturam vulgus dictitat esse deum.
Siue igitur placeat naturae mi nera dici,
Siue dei, arbitrium lector, habeto tuum.
Hoc ego praestabo, distincte vt singula tractem,
Primum & prudentis ordine munus erit.

De

PRimus honestatis locus est, disquirere quid sit
Verum vel falsum: quæ mala, quidue bonum.
Hoc adeò est hominis naturæ & viribus aptum,
Nil magis vt proprium, nil deceat q̃ magis.
Ducitur omnis enim mortalis amore sciendi,
Prorsus vt ignotum nil velit esse sibi.
Omnia vestigat solers, & mente volutat:
Nam labi & falli, turpe, malum q̃ putat.
Est autem prudens quisquis disquirit honestum
A turpi: vt tantùm possit honesta sequi.
Hoc non discernet, nisi qui metitur idipsum,
Vt natura sua iudicat, & ratio.
Non, quæ quisq̃ probat, prudens ea recta probabit:
Sed, quæ iudicio comprobat ipse suo.
Hoc sed iudicium ratio dominata gubernet,
Pareat & sensus, vt puer, atque comes.
Verùm, quo leuiùs rectum dignoscere possis,
His quasi per species singula lector habes.
Imprimis igitur quisquis perquirit honestum:
In vita agnoscat esse cauenda duo.
Est vnum ne scire putet, quæ nescit: & illis
Hæreat vt certis credulus ipse sibi.
Plurima namq̃ latent cæcis abstrusa latebris,
Quæ neq̃ de facili quisq̃ videre potest.
Ergo illis temere tu consentire caueto,
Ne capiat facti te citò pœna tui.
Hic opus est studio, hîc cura, & tempore longo,
Hic quoq̃ præceptor fortè vocandus erit.

Proderit in multis simul experientia rerum,
Proderit & fida pectus amicitia.
Rebus in ambiguis partes scrutaberis ambas,
Vt quacunque venit res, tibi tuta cadat.
Non satis est istam partem munire, vel illam,
Altera si restat debilis, atq; vagans.
Non bene prouidit, tantùm, qui à dente colubri
Cauit: nam pariter cauda cauenda fuit.
Sic age, & nunquam dicas, non ista putaram;
Non sine dedecore fertur id ore viri.
Nec te decipiat, quosdam quod decipit, illud;
Dum quacunq; sua recta, & honesta putant.
Iudicio addicti proprio, seruiq; suorum
Errorum, credunt se nihil esse supra.
Auelli nequeunt vlla ratione, vel arte:
Iudiciumq; omni plus ratione valet.
Vt soliti patres gnatorum crimina sæpe
Laudare, & donis credere digna suis:
Vt qui fecit opus sculptor, carmenq; poëta,
Sæpe his Phidiacum spernit, & arma virum:
Sic isti proprios mores venerantur, adorant,
Quæq; alij faciunt, vt vitiosa premunt.
Quippe quod à rerum falluntur amore suarum,
Nec nisi seipsos prorsus amare queunt;
Quicquid habent ipsi gemmas, aurumq; licentur,
Tanquam vile lutum cuncta aliena ferunt.
Iis ratio explosa est, atque omnis quæstio veri,
Ii minime distant à pecore, atq; feris.
Quisquis, natura quæ sunt communia, non vult,

An

An partem è propriis præbeat ille bonis?
At si se talis casu subrepserit error,
Vt nimium tribuas partibus ipse tuis:
Tunc videas, quæcunq; tenent sancti q; boni q;,
Atque ea tu credas esse tenenda tibi.
Plus oculi cernunt multi sub luce serena,
Quàm videt in tenebris vnus ocellus iners.
At cùm consilio constabunt omnia certo,
Tunc age maturè: sit procul ipsa mora.
Sunt multi segnes, & lenti pondere fasti,
Consultent quamuis optima quæq; priùs.
Ii neq; censendi prudentes, namq; relinquunt
Partem, quæ prima est, officijq; caput.
Non aliter virides floreſcunt arbore rami,
Si nequeant proprio tempore poma legi.
Nec secus in medijs se iactant agmina campis,
Si conserta manus nulla trophæa refert.
Sic etiam cultis mandantur semina sulcis,
Ni segetes tostas falce sonante metas.
Omnis enim sua laus virtutis facta requirit:
Nam sine re prodest consuluisse parum.
Non tamen ille caret virtutis laude perenni,
Qui bona consultat, si gerere illa nequit.
Nam prohibet multos morbus, nam sæpe facultas
Consilijs rectis non sinit esse locum.
Philosophi pariter laudem, famamq; merentur,
Qui bene scribendo secula longa monent.
Est aliud vitium longum consumere tempus,
Et nimijs studijs ardua quæq; sequi.

Diffi-

Difficiles etenim res quædam indaginis altæ:
Quæ tamen haud aliquid vtilitatis habent.
Namq; nihil fini prosunt, nec moribus ipsis:
Sollicitent animos nocte dieq; licet.
Aut si vel recto possunt conducere fini:
Hæc plusquam finis, sola petita iuuant.
Quid prodest varios stellarum inquirere cursus?
Quid res, & causas noscere, inepte, petis?
Quid cupis innumeras discendo amplectier artes,
Et toto veros orbe referre situs?
Quid gaudes nodis cunctos vicisse sophistas?
Aut verbis totum detinuisse forum?
Si sapis, istorum nil quicquam pertinet ad te:
Simplicius multo est, quod didicisse decet.
Vt recte viuas, discas, moriare q; recte:
Hæc duo sunt nostra: Viuimus et morimur.
Est simplex studium vt rectè versemur vtroq;
Et facile est, quid nos munere vtroq; beet.
Ergo prius discas, quid te prestare beatum
Possit, & id toto pectore fige tuo.
Disce viam pariter, qua perueniatur ad illud,
Quam simul ingredere, perpetuoq; tene.
Nempe viam multi perdiscunt tempore toto,
Non tamen amentes ingrediuntur iter.
Quid didicisse viam prodest, quum pergere nolis?
Turpior ignaro factus es ipse scieus.
Anne viam monstres alijs, tu deuius erres?
Et moneas alios, quod minus ipse facis?
Quàm stultum est totas noctes vigilare, dieq;

Nullius

Nullius vt fructus sit pater ipse labor.
Sumimus incassum tempus discendo profectò
Actio ni sequitur mente recepta prius.
Actio cùm finis discendi debeat esse,
Plus pete, quàm discas, vt sapienter agas.
Iure igitur miles reprehendit philosophantem:
Gymnasio clamat dum nimis ille senex.
Inquit enim miles: Dic ô venerande magister,
Quid sibi clamores, verbaq; nestra volunt?
A mane ad noctem miscetis iurgia: nullus
Est alij concors: hic ait, ille negat.
Respondit sapiens: O fili, quærimus illam
Virtutem, hanc potuit quærere vemo satis.
Subrisit miles: Iam canus, iam morituras
Es: neq; dum virtus ipsa reperta tibi est?
Quando ergo vteris, quando tu præditus illa?
An tibi apud manes illius vsus erit?
Disce igitur, quantum possis præstare gerendo:
Et, quantum discis perfice, eq; gere.
Non latet id, potius se offert quærentibus vltro:
Id poterit facili prendere quisq; manu.
Præterea officium prudentis noscitur illud:
Ordinis vt serues inter agenda modum.
Prouidias primùm, quæ sunt grauiora subinde
Constituas digno quæ leuiora loco.
Non licet, vt spretis chara cum coniuge natis,
De pueris cures mancipiisq; tuis.
Nec licet, vt vitam, simul asbernére salutem:
Dum nimio studio quæris auarus opes.

Non

Non animam perdas, dum vis te reddere ſaluum
Corpore: plus anima nam pretioſa tua eſt.
Quid tanti facias, animam quo perdere ſpernas?
Quæ merces animæ par queat eſſe tuæ?
Quis ſibi præponat momento viuere paruo?
Æternùm demens vt velit ille mori?
Nec niſi momentum dici tua vita meretur,
Secula ſi ſpectes & ſine fine dies.
Fac, cui plus debes, cures plus reddere ſemper,
Ante tamen gratus omnia pone Deum.
Non, licet officij memor vt videaris ab omni,
Immemor in Chriſtum ſis tamen ipſe tuum.
Non ſolùm aſpiſcias præſentis gaudia vitæ,
Sed videas, qualis vita futura tibi eſt.
Quid magis eſt hominis, q̃ voluere mente futura,
Ne quid contingat, quod grauitate premat.
At ventura quidem mors eſt, atque altera vita,
Quæ præmet, aut nobis præmia grata dabit:
Quæ veniet, nullas habitura eſt tempore metas,
Sic mala perpetua, vel dabit illa bona.
Aſt velut hæc vmbræ, celeriq́, ſimillima vento eſt,
Sic bona, ſiue mala dat peritura breui.
Hic locus eſt venia tantùm, dum veſcimur aura:
Ius ſummum nobis altera vita feret.
Eſt ſatius placidos ad tempus ferre labores,
Supplicia æternis quàm tolerare rogis.
Molle iugum collo eſt, ſi quod ſuſcepimus vltro,
Inuiti grauius ſed patiemur onus.
Hic medicus Chriſtus medicatur triſtibus ægris,

Illic

Illic vt iudex fronte verendus erit.
Non tua magna putes, quæcunque caduca videbis:
Id pete, quod durat, perpetuumq; manet.
Non etiam serues, quæ sunt tibi mox peritura,
Ne tibi non prosint, si qua superfuerint.
Fac iustè semper vivas: & iunctus iniquis,
Non te commutes, quin magis aptus eris.
Tunc verò aptus eris, cùm iustum tendis ad illud
Semper, & ad tempus scis variare vias.
Sæpe via est duplex, quæ ad metas ducit eadem:
Altera nunc clausa est, altera aperta patet.
Vt manus in palmam modò se distendit, & aptat
In pugnum rursus, & tamen vna manet:
Sic prudens semper iustus permanserit idem,
Sed sumet vultus, quos monet ipsa dies,
Non leuis vt ventus, sed prore mobilis adsis,
Constans, non durus, propositiq; tenax.
Nec citò credederis, fuerint quæcunque relata:
Discutias omne, quod fecius esse potest.
Fallitur & fallit, faciles qui commodat aureis,
Esse à prudente debet vtrumq; procul.
Sæpe fuit verum, quod res conficta videtur:
Visaq; res vera, ficta reperta fuit.
Delituit verum quoties sub magine falsi!
Et falsum veri imagine delituit.
Non proprios vultus semper mendacia gestant,
Sæpe & simplicitas creditur esse dolus.
Viq; assentator frontem sibi sumit amici:
Sic qui recta monet sæpius hostis habet.

Non

Non tibi de dubijs ſententia certa feratur,
Sed ſuſpenſa quidem reddere verba potes.
Cùm quicquam facies, imprimis mente voluta,
Quantum eſt, & quale, quod queat inde ſequi.
Nil tibi ſit ſubitum, nil aggrediare repente:
Sires eſt durans, eſt patiens q; mora.
Quod dubitas, differ, melius ſuſpende parumper,
Quod geritur, donec tempore certus eris.
Præterea, quicquid noſcis non iure fuiſſe
Inceptum: debes deſeriiſſe citò.
Si tibi ſuſpicio fuerit ſub pectore nata:
Illa quidem ceſſet, ſed tamen omne caue.
In ſermone tuo vel qua ſunt recta mouebis:
Aut rectum quares, quod latuiſſe ſolet.
Ignotum rudibus mitis monſtrabis honeſtum:
Præcipies illis, quos tua cura regit.
At, ſi ſolatus fueris ſua damna dolentes:
Non tibi virtutis pars mediocris erit.
Laudabis parcè, quem credas iure probari:
Parciùs & damnes, quem neq; iure probes.
Qui nimium laudat, blandiri nempe videtur:
Qui nimium damnat, credita lingua mala eſt.
Quod verum eſt charo præferri debet amico:
Sit veri ſpecies inuiolata tibi.
Diſcute quid poſſis, cùm vis promittere quicquam:
Poſtquam promiſſum eſt, pleniùs ipſe dabis.
Præteritum ſpecta tempus, prænoſce futurum:
Vt prudens peragas, non ſine laude quod eſt.
Commoda præuideas, ſimul & quæ damna ſequãtur,

Vt leuius quicquid venerit inde, feras.
Non tu semper opus facies, sed certa laboris
Sit requies, animi pars erit illa tui.
Non tamen in requie ludat tua dextra fritillo,
Sed studij cures te satiare cibis.
Segnitiem fugias, quando tu cunq; quiescis,
Versa aliquod mente tunc pietatis opus.
Aut animo tractes, quæcunq; negotia restant,
Plus etenim semper mens requieta videt:
Accelerat tardum, perplexum digerit omne,
Et durum mollit, aspera plana facit.
Nunquam prudentis mentem decet esse solutam,
A gestis quamuis dextera fessa vacet.
Quid peccent alij, non sit tibi maxima cura
Discere: quid pecces, sit tibi cura magis.
Discere semper ama, dimittas quærere quis sit,
A quo perdiscas: sit didicisse satis.
Consilium alterius de rebus concipe gestis:
Ex minimis etenim noscere magna potes.
Aetas prima monet, qualis sit quisq; futurus:
Et reliquam vitam indicat vna dies.
Non dicti, aut facti quisquam te mouerit auctor:
Sed tantùm motus sis ratione rei.
Nec tibi plus placeas, quia multis forte placebis:
Id specta potiùs, qualibus ipse places.
Illud fac quæras, quod non reperire negatum est:
Et tenta vt discas, quod modo scire licet.
Illa etiam exoptes, quæ coram optare licebit:
Turpe est, quod nequeas, concupijsse palam.

Alta nimis cauea, vbi sit, te stante, tremendum;
Aut si descendas, multa timenda putes.
Illuc intendas nervos, cunctosq; labores,
Quo si pervenias, sit tibi parta quies.
Sunt quædam, merito quæ perquisisse probera,
Sed cùm sat fuerit, est retinenda manus,
Cùm tibi pro vita fuerit quæsita facultas,
Id quæras, pro quo vita tributa tibi est.
Non opibus mutis fueris famulatus auarus,
Sed vita famulas semper habebis opes.
Quicquid non faceres, si præsens arbiter esset,
Non magis id facias, hoc quia teste caues.
Cùm tibi ridebit vultu fortuna secundo,
Vtere consiliis tunc magis, atq; magis:
Nam velut in lubrico nequeunt consistere planta,
Sic solet & felix perdere sæpe modum.
Nec magis à falsis nauis gemit acta procellis,
Quam ratio in multa prosperitate gemat.
Propterea placida dum spirant flatibus auræ,
Non quocunq; libet, sed loca tuta pete.
Sæpe mari placido scopuli latuere sub vnda,
Sæpeq; per scopulos lassa carina fuit.
Aequore tranquillo dum currunt carbasa plena,
Improuisa venit sæpe procella furens.
Fallere te nullus vult, qui tibi dura minatur,
Sed magis, vt caueas, turbidus ille monet.
Fallimur à placidis verbis, vultuq; sereno,
Cum sapido capimus sæpe venena cibo.
Sic solet arridens multis fortuna nocere,

In quos turbata non fuit illa potens.
Vir patrit prudens: sed iam nunc munera dicam
Iustitiæ, per quam nectitur orbis amor.

DE IVSTITIA.

IVstitia est quædam natura sanctio, multis
Quæ iubet vt prosit, auxiliumq; ferat.
Inter mortales sic mutua vincula nectit,
Humanũ vt seruet sola, vel illa genus.
Vtile non quæras, an sit, quod iusserit illa,
Nam, quicquid iubeat, vtile semper erit.
Iustitiæ prima partes sunt reddere honorem
Christo, qui nobis omnia, seq; dedit.
Ergo, si quis erit gaudens cognomine iusti,
Ille Deum imprimis religiosus amet.
Sic amet ille Deum, quod contrà dignus amari,
Quod sibi sit merito gratia parta Dei.
Esse Deo gratus poterit, quicunq; nocere
Vult nulli, et cunctis vtilis esse cupit.
Sic Deus est homini, qui nulli lumina solis
Denegat in terris, sit licet vsq; malus.
Non plene officium iusti compleuerit ille,
Qui nulli prodest, qui neq; prorsus obest:
Quippe requirit opus, quod sit laudabile, virtus:
Non habet illa satis abstinuisse malis.
Non sumus ad nostra ipsi tantùm commoda nati:
Ferre alij gratam quisq; tenetur opem.
Nati homines hominum causa sunt, (teste Platone)
Vt sese faciles vltro, citroq; iuuent.
Nec ratio est simplex, aut omnibus vna iuuandi,

Auxilij cuiq; propria cauſa data eſt.
Si nequeas opibus quemquam, rebuſq; iuuare,
Aſt opera ſaltem, conſilioq; iuues.
Quin etiam poteris fortis prohibere nocentes,
Ne lædant grauius viq; doliſq; bonos.
Nec minus hortando, ſolando, tumq; monendo,
Iurgando & multos ipſe iuuare potes.
Sed gradus officijs dandis ſeruandus, & ordo eſt:
Ordine nam cuncta ſplendidiora nitent.
Quippe Deo primum debes perſoluere cultum:
Pone Deum poſcit patria prima locum.
Hinc gnatos, charoſq; tuos tueare parentes:
Poſt tibi quos ſanguis, quos quoq; iunxit amor.
Nec, quos paupertas, quos morbus, quóſue ſenectus
Oppreſſit, ſpernas, ſed miſerere magis.
Inter & hos, ſi quos morum commendat honeſtas,
Hos oculis propiùs intueare tuis,
Sunt etiam, qui te quondam iuuere, iuuandi:
Sed referrant fœnus tunc in amore vices.
Vt iubet Heſiodus, campos imitere feraces,
Semina qui domino multiplicata ferunt.
Eſt tamen vt caueas, ne dum ſis vtilis vni,
Id damno alterius feceris, atq; malo.
Prouideas pariter, dum vis nimis eſſe benignus,
Ne tibi res deſit, atq; aliena petas:
Sæpe etenim cenſu conſumpto prodigus omni,
Aut rapit, aut turpem contrahit ipſe notam.
Non etiam vt magnus ſis, te dede rapinæ,
Nam neq; quo regnes, ius violare licet.

Nec

Nec tantùm à iusto violentia longiùs abſit,
Sed fraus, atq; dolus debet abeſſe procul.
Vulpeculæ fraus eſt, vis eſt innata leoni,
Vtraq; ſed iuſtis eſt aliena viris.
Quin populo ex omni, nullus capitalior illo,
Qui lupus eſt intus, pelle videtur ouis.
Nec ſolùm facto, ſit ſæpe iniuria verbis,
Obiectes ſi cui crimina falſa reo.
Quod verum eſt ſemper profer, ſemperq; tuere,
Sic nihil vt vero tu venerere magis.
Nec verum credas violare poſſe negando,
Quin ſic religio eſt, tum violata fides.
Nam licet in teſtem non ſit Deus ipſe vocatus:
At tamen is cuſtos, vltroq; teſtis adeſt.
Et ſi quando licet mentiri, fortè licebit
Tantillum, vt vera ſint manifeſta magis.
Quiq; fidem vt ſeruet, fuerit non vera locutus,
Forſitan eſt veniam dignus habere ſuam.
Eſt ſeruanda fides ſic, vt conſtantia ſemper
Adſit pollicitis, pactaq; ſancta velis.
Sæpe tamen fateor tempus contingere poſſe,
Quod neq; damnandum ſit, violare fidem:
Vt quia promittam tibi, quod non vtile fiat,
Aut mihi plus noceat, quàm tua facta iuuet.
Theſeus optaſſet Neptunum pacta negare,
Cùm traxit miſerum curribus Hyppolitum,
Non commiſſa ſibi iuſtus ſecreta loquatur,
Sed taceat quicquid non licet ore loqui.
Vocibus ambiguis litis non ſemina iactes,

Iudicium certum sed magis ore feras.
Aut potius taceas, cùm non sit causa loquendi:
Sæpe sibi, atq; aliis garrula lingua nocet.
Publica si quando tibi sit commissa potestas,
Aut si turbatua sit numerosa domi,
Corrige, quem facinus, quem reddit culpa nocentē:
Non laus est lenis quod reputere nimis.
Nam peccare facit multos, qui ignouerit vni,
Dum q; vni prodest: pluribus ille nocet.
Quicquid peccabunt multi, te dante fauorem,
Cunctorum iure es criminis ipse reus.
Sed fauet is, si quis non punit crimina, præses:
Iudicis est nimius virga benigna fauor.
Subruit ille hominum cœtus & subruit vrbes,
Per quem iniusta malis pœna remissa fuit.
Subruit, vt flammam qui multam sparsit in ædes,
Aut remouet partis, hoste premente, seras.
Non erit hic lenis ciuis, princeps sue vocandus
Sed dici potius pestifer ille potest.
Non tamen in pœnis mensuram excedere fas est:
Est pulchrum rebus omnibus esse modum.
Supplicium sumens, non sis immitis, & asper,
Lætus vt alterius tu videare malo:
Sed plecte inuitus, veluti sis tractus ad illud
Officium, & doleas tanta patrasse reum.
Quin quoq; si plures eadem dat causa nocentes,
Non illum absoluas, hunc retinere velis.
Non pœna afficias hos, dum tu munere donas
Illos, quos facinus arguit illud idem.

Impro-

Improbitas eadem, pœnam patiatur eandem:
Nec genitrix huius, illius hostis eris.
Sic fertur solers quas nectit aranea telas,
Solum pro minimis fila parata feris.
Si veniat crabro maioris ponderis, illas
Perfringit telas, dilaceratq; leueis.
Inuoluunt minimas pendentia retia muscas,
Quarum cum misero murmure vita perit.
Sic solet & pauper puniri lege seuera,
Si peccat: diues lege refixa fugit.
Si tibi deliquit quisquam, non vltio maior
Delicto fuerit: sufficit esse parem.
Si tamen ignoscas, vindictaq; nulla placebit,
Iustior, es multò, gratior atq; Deo.
In famulos etiam iustum seruabis, & æquum:
Iis iusta impendas, nec nisi iusta petas.
Hos credas fratres nobis natura creârit,
Vt sæuire nefas latiùs esse putes.
Abijce, si grauiter tibi peccant, vel miserere,
Si leuiter: sapiens quis queat esse satis?
Iustitiæ postquam fineis reserauimus ipsos,
Dicamus fortem, magnanimumq; virum:

DE MAGNANIMITATE.

Magnanimũ fateor, qui, quò teneatur honestum,
Vltro dura subit, qui neq; sæua pauet.
Non timet hic homines, non & discrimina mortis,
Quidquid contingat, ferre paratus adest.
Non animum magnum possunt tormenta, minæq;,
Vnica sed ratio sancta mouere potest.

Non tamen expoſcit temere diſcrimina, quàquam
Effugiat timidi nomen habere viri.
Stultius haud quidquam, quàm ſeſe offerre periclis
Cùm poſsit tuto non minus illud idem.
Eſt nimium demens, tranquilla ſi quis in unda
Spumiferos æſtus optet habere freti.
Qui patriam inſultat, violat qui publica iura:
Non vir magnanimus ille putandus erit.
Eſt audax potius, temerarius, impius, amens,
Eſt quidquid poſsit linguæ referre malis.
Nec vir fortis erit, quærens ſua commoda: ſed qui
Vim prohibet patriæ, nec facit ipſe ſuæ.
Nulla animi laus eſt, nulla eſt præſtantia facti,
Iuſtitia unde procul eſt patriæq; ſalus.
Nec niſi vir rectus, cui ſimplicitatis amicus,
Magnanimis & fortis omen habere poteſt.
Non te factorum delectet fama tuorum,
Sed per ſe placita ſint bene facta tibi.
Magnanimus claris in geſtis ponit honeſtum:
Et populi voces reſpicit ille parum.
Non magni eſt animi, qui vulgi pendet ab ore,
Sed dare qui potuit, quod cupit ipſe ſibi.
Qui nimium tribuit titulis, & queritat illos,
Ille nimis vanus, & puerilis homo eſt.
Eſt animi in primis magni rès ſpernere cunctas
Externas, nimium quas rude vulgus amat.
Res humileis ſpernes, animus petit ardua magnus,
Quidquid habet tellus, ſe putat eſſe minus.
Non oculus quidquid cernit, vel dextera tangit,

Sed

Sed qua mente capit, ardua, & alta putat.
Qui spernit terras animo cœlestia tangens,
Illo non vllus, vt puto maior erit.
At quî magnus homo est, quisquis versatur in ĩmis,
Et neque de terra tollit ad astra caput?
Quis neget esse hominis magni, virtute mereri
Dignum cum summo rege tenere locum?
Ergo non magnus, sed maximus ille feretur,
Qui summi meruit aulicus esse Dei.
Quis neget esse virum fortem, qui viribus vrbeis
Et longa magnas obsidione capit?
Ergo non fortis, sed erit fortissimus ille,
Qui sistet capta victor in arce poli.
Non hominem magnum terrent quicunq; labores,
Vt tandem absoluat, quod bene cœpit, opus.
Sic te non pigeat pulsare palatia cœli:
Vt reseret facilis ianitor ipse fores.
Non quenquam renuit pulsantem ianitor altus,
Et nulli non dat, si modò iusta petit.
Quare agè non vnquam tu brachia fessa remittas,
Quandoquidem mox te præmia certa manent.
Palmam sine feres, ad finem pergito: namq;
Aequore decurso, digna corona datur.
Nec finem minium tibi credas esse remotum,
Cùm minimè rexis sæpe propinquus adest.
Non animus magnus seruit, sed liber ab omni
Est vitio, recti perpetuusq; comes:
Nec patitur luxus superet, turpisq; libido:
Sed superat sensus fortior ipse suos.

Serui-

Seruitium maius non est, nec turpius vllum,
Quàm quo sub vitijs mens redigatur iacet.
Libertas animi vera est, quam nulla voluptas
Imperio cogit, seruitioq; premit.
Nil admirandum nisi quod videatur honestum,
Nil nisi quod semper, quod propriumq; manet.
Casibus aduersis constans succumbere nescit,
Tanquam si semper res sua salua foret.
Sed nihil aduersi censebit maximus ille,
Omnia qui in mente credit habere bona.
Ille autem solus complectitur omnia mente,
Pectore cui Christus nocte, dieq; sedet.
Aspectum seruat, grauitas quem vestit, & ornat
Nec trepidat verbis, languidiusq; sonat.
Non magni est seruos oculos, vultusq; minaces,
Sed magis est mitis frontis habere decus.
Non etenim fortis gestu, vultuq; probatur:
Sed facto, atque animo sit mihi magnus homo.
Non quia tu populi vexaris ferre repulsas,
Propterea res est publica agenda minus.
Non patriam linquas, quia sit tibi pugna futura,
Non aliter fortis nascier ipse putes.
Praterea quem sacra fames, & forma mouere
Coperit, haud magnus, imò pusillus homo est.
Tormentet quamuis scelerata pecunia parsos,
Esse tamen magnis illa molesta nequit.
Nil minus est animo, nil est angustius illo,
Qui seruit summis, cui dominantur opes.
Ille autem est fortis, qui scit contemnere pauper

Diuitias

Diuitias animo non cupiendo suo:
Aut si diues habet, qui sic partitur amicis,
Subsidio vt multis gaudeat esse viris.
Quàm vulgata viros inter sententia Pyrrhi est,
Cùm redimit captos sæuicia, Roma suos!
Inquit enim Pyrrhus, pretium numerare volenti:
Non aurum posco, non mihi dona dabis,
Certemus ferro, non auro: cauponantes is
Contractare aurum, nos decet arma viros.
Dignum rege quidem verbum, genius Aeacidarũ
Ostendit magnum viribus, atq; animo.
Nec minor ipse animo Curi Dentate fuisti
Cùm tibi Samnites aurea dona darent:
Torrebas modicum rapas tu lentus ad ignem,
Explicuit Samnis cùm sua dona cliens.
Malo equidem, dixti, figuli cœnare catino,
Quàm fuluis: tecum munera missa refer.
Non aurum volumus, potiùs sed habentibus aurum
Esse super volumus, hoc cupimusq; magis.
Corpore sunt etiam subeunda pericula rerum,
Suntres difficiles, improbiorq; labor.
Non tamen hæc temere, sed rectius antè videndum,
Quid ratio assentit, quid fierine negat.
Nec etenim tentet sese maiora suisq;
Viribus, vt cœptum turpe relinquat opus.
Sæpe nimis fidens sibi magna negotia sumit,
Quæ neque cùm peragat, dedecus inde refert.
Attamen & caueat nimiùm dum prouidet omne,
Ne visu trepidam quærere velle fugam.

Nempe

Nempe mori præstat, quàm turpem viuere vitam.
Seruitio mors est anteferenda viris.
Non certes armis, nisi cùm certare necesse est:
Nanque ferum nimis est conseruisse manus.
Nunquam suscipias bellum nisi pacis amore:
Sed pax nil fraudis, nil habeatq; doli.
Dignius in magno nihil est, quàm parcere victis,
In quo naturæ conuenit ille Dei.
Non tantæ est laudis vi debellare superbos,
Quantæ est clementem se, placidumq; dare.
Inter Cæsareas virtutes prima refertur,
Quòd placidus victis ciuibus ille fuit.
Magnanimum mitem fecit natura leonem,
Prostratis pueris, exiguisq; feris.
Non nisi præmonito dudum conflixeris hosti:
Namq; animos timidos indicat ipse dolus.
Non odio quenquam, nec sis liuore secutus:
Hoc etenim angustis mentibus esse solet.
Si quis te verbis, vel factis læsit iniquis,
Hunc tecum repetà nil nocuisse tibi:
Sed tantùm mentem dicat habuisse nocendi:
Et mentem optatum non habuisse suum.
Nam nisi se ladat, certò non læditur vllus,
Namq; alius mentem tangere nemo potest.
Cumq; vlciscendi fuerit tibi facta potestas,
Hoc pro vindicta sit potuisse satis.
Vltio nulla quidem maiori cedet honori,
Quàm tibi qua spreta, quaq; remissa fuit.
Occulto quenquam non carpes ipse susurro:

Sed

Sed ſi quem argueris, aggrediare palam.
Magnanimum faciet tantum mens conſcia recti,
Mens pura, & ſimplex, intemerata fides.
At trepidum facient ſordes, & crimina vitæ:
Omnia iam metuit, quem ſua vita premit.
Cor mundum nunquam torpet formidine triſti:
Nam quicunque ſine eſt crimine, quid metuit?
An mortem? munus ſibi quam natura paruit,
Per quam non dubius regna beata ſubit.
An vel ſupplicium? cuius non ille dolorem
Sentit, dum ſanans vulnera Chriſtus adeſt.
Quid timeat, quem Chriſtus amat, quo virgo tuetur? *Summuſq;*
Numina cui cœli cuncta benigna fauent?
Martyribus potuit quis quondam inferre timorem?
Vincere tam magnos qui potuere viros?
Non illos reges ſuperarunt, non q; tyranni:
Non populi, admiſſæ nec valuere feræ.
Præſidibus coram iuuenes, puerique, ſenesq;
Et fragilis mulier non habuere metum.
Non artus, non arma nec, diſtricta, rogataq;
Non iaculis ſeuæ, verberibus q; manus:
Non carcer, non longa fames, tormenta, ſuiſq;
Non oleum, non pix, non q; fluenta mari:
Munera, nec regni partes promiſſaq; regum
Coniugia in turpem non pepulere fugam.
Nec tantum natos læti valuere parentes
Spectare in flammis, in cruciatuq; ſuos:
Quin magis infantes genitrix hortata tenellos,
Et frater fratrem, ſponſaq; cara virum.

Quã

Quis possit sanctos morientes dicere victos?
Victores potius morte fuere sua.
Fortius aut maius nihil est, quàm vincere mundum,
Vincere quam terras, & superare polos.
Nil pariter felix homini, pariterq; beatum:
Nil pariter dulce, quàm tibi Christe mori.
Nec tantum gladio, sed vini possumus ipsi,
Hoc tibi contempto corpore Christe mori.
Qui gladio moritur, tantum semel occidet ille:
Occidit hic sæpe, qui sua membra domat.
NEc datur hunc cunctis gladij contingere mortẽ,
Qui cupiunt, gladius gratia summa Dei est.
Quem fuerit Christus dignatus morte perire
Consimili, certe est proximus ille Deo.
Iam satis in magnis animis versata Theleia es,
Nunc reliquum propera sancta referre pede.

DE TEMPERANTIA.

DIximus inuictas mentes, nunc referre modestas,
Et locus, & tempus proposituma; monet,
Qui cohibet motus animi, seruatq; decorum
Dictis, & factis, is moderatus erit.
Ergo vt sit tali tecum tua vota rependas,
Et bona persequere, cætera missa face.
Sunt bona, quæ simplex tantùm natura requirit:
Non ea, quæ fastus, ambitioq; iubet.
Non eget hic multis, qui se possederit ipsum:
Qui se possideat, se putat esse satis.
Omnibus ex rebus prædines semper abundat,
Esse, vel absq; opibus diues ille nequit.

Nam

Nam se quisque potest per se præstare beatum,
Si modo possideat mente quæ cuncta habet.
Cui sua non satisfunt, aliud sed quærit extrà,
Ille miser semper, semper egenus erit.
Nam munera quamuis habet sibi plurima dives,
Plura tamen multò semper habere cupit.
Se se autem totum, ni fallor, possidet ille,
Qui sanè est mentis, quique videnda videt.
Corpore cui totus censetur, & integer esse,
Omnia qui validus integra membra gerit.
Contrà non totus censetur lumine cassus,
Nec si cui nasus, pesque, manusque deest.
Sic etiam, si cui caligant lumina mentis,
Mersus in errores non sibi totus adest.
Ergo te habe primùm, nec res perquire remotas,
Pars tibi, cùm desit proxima quæque tua est.
Vt se se prudens habeas, de corpore morbos
Pellit, & assiduè noxia cuncta cauet.
Quisnam consulto sumit, potatque, venenum?
In foueam quis se præcipitanter agit?
Quin si quis biberit casu, vel fraude, cicutam,
Antidotum, medicos protinus ille petit.
Si cui crus fractum, subitò cur ducit aliptem,
Quin oculis lippis, & medicina sua est?
Quod magis est dicam, claudus se incedit asellus,
Continuò fabrum tu proprio ore vocas.
Cur quoque si morbus sensum, mentemque grauauit
Non adhibes curam, restituique tibi?
Hoc etenim cura est maior tibi mentia habenda,

Quæ

Quò supra corporis nobilitate sua.
Quid iuuat in tantos illam mersare labores?
Semper vt ancipiti se roteat illa malo?
Cur illam in flammis noctes q; dies q; fatigas,
Et perdis melius, quod potiusq; tenes?
Impius es nimium, nimium crudelis, & asper,
In te qui propriis iniicis ipse manus.
Quid tantis certas inuolvere rebus illam,
Scilicet vnde volens explicuisse nequis?
En quatitur vigilans curis, quatitur q; quiescens,
Acta velut stimulis irrequieta furit.
Tu tanquam tortor, tanquam Bellonaflagello
Persequeris saeuus, illa misella fugit.
Nónne foret satius de corpore perdere dextram,
Quàm partem cuius viribus ipse sapis?
Quàm partem è summo quae est vibrat radia cœlo,
Qua sine cum reliquis animerere feris?
O tibi quàm falsa est spes vitae, & funere functo,
Si vitae, & mortis dux tuus aeger abest.
Sunt ergo in primis morbi de mente fugandi,
Quò tibi sis totus, deficiat q; nihil.
Hanc tu per salubreis, & rectos dirige calleis,
Sana tibi officium praestet vt ipsa suum.
Sed ne te languem teneam, carissime Lector,
Officium sana mentis id esse puta:
Vt tantùm speret quod prosit tempore in omni,
Quodq; sit immensum, vel sine fine bonum.
Vt timeat quidquid possit sine fine nocere,
In quo non ullus sit, qui ferat vllus opem.

Omnibus

Omnibus vt studijs solers ea gaudia quærat,
Quæ nullus moribus frangere, visq; potest.
Vt doleat solum damnum, quod nulla voluptas
Consequitur, vel quo vita sa, lusq; perit.
Cætera nil pendas, nisi quantum penditur vsus
Hospitij vnde parat hospes abire cito.
Quin ea tu pondus credas, morbosq; grauanteis,
Quæ te vel perimunt, vel remorantur iter.
Debet onus, morbumq; simul vitare viator,
Vt peragat cœptam, quam cupit ire, viam.
Est via, qua gradimur, vita hæc: erit altera vera
Patria, perpetuum vel dabit exilium.
Si patria, ad caros proauos, carosq; parentes
Ibimus, vt constet omnibus vna quies:
Sin vero exilium, capiet nos vltima labes,
Accipiet fletus, perpetuusq; rogus.
In patriam redeunt, qui freti munere sanæ
Mentis ab aduersis se explicuere malis:
Exilium contra subeunt, qui erroribus acti,
Vertere se ad verum non potuere bonum.
Mens errat, quoties ratio non imperat, & cum,
Quæ bona sunt, cernit, deteriora sequens.
Sed nimium fuimus digressi; iamq; redire
Causa monet, nostrum propositumq; sequi.
Incœptum fuerat nostrum, moderatio motus,
Quodq; nitet rebus, conspicitur q; decus.
Hac in re noster sermo versabitur omnis
Tam liquido, quantum nostra Thaleia potest.
In primis igitur studeas seruare decorum,

Vis magna officijs eius inesse solet.
Dicitur id duplex, cùm quoddam sit moderamen,
Quoddam commune, quod generale magis.
Quod commune ferunt, est, quod comitatur honestum
Omne, & inest illi, nec valet esse sine.
Hoc magis apparens occulis, simul auribus auctu,
Hoc sine nil rectum, nil reor esse bonum.
Non aliud fuerit quàm conuenientia rerum,
Quas homines recte, vel sapienter agunt.
Et velut in toto confusa est corpore forma,
Nec tamen est corpus, sed magis id quod inest:
Sic etiam recto censetur inesse decorum,
Quod rectum exornat, quodq; videre iuuat:
Sic mouet hos animos, oculos vt forma venusta
Corporis oblectat, detinet, atque mouet.
Aptius id cernas interno lumine mentis,
Quàm verbo, aut calamis id reserare queam.
Sed decus est aliud, quod partem spectat honesti,
Quæ proprios motus temperat, atq; regit.
Hoc habitu, gestu, mensura, voce, pudore
Est positum, in cultu, tempore, tumq; loco.
Hoc facit vt placeas, gratus sis omnibus vnus,
In populum de te fama perennis eat.
Nec spernas, populus de te quid sentiat omnis:
Est graue cunctorum spernere iudicium.
Iudicio inserui populi: nam q, esse superbus
Creditur is, solus qui sua facta probat.
Offendunt animos hominum de formia quædam,
Vt violant corpus spicula missa manu.

Qui

Qui tamen offendunt, hos dicimus inuericundos:
Dicimus iniustos, qui violenta mouent.
Corporis haud tantùm seruandum crede decorum:
Est animi interius sed magis, atq; magis.
Ast animum poterit componere quisq; decenter,
Imperium ratio si tenet ipsa suum:
Aut si deiecta est propria de sede, resumit
Confestim solium, quo sedet illa, sacrum.
Hic primùm turpi tete seruabis ab ira,
Deformat vultum quæ simul, atq; animum.
Turpius irato quid possis cernere vultu,
Cùm fluit a rabido spumeus ore liquor?
Sic despumat aper cinctus latrante caterua,
Sic etiam frænis exagitatus equus.
Non hominem dicas, feruens quem concitat ira,
In Furias versus incipit esse fera.
Concilium perdit, tanquam furiosus, & amens,
Pœnitet hunc facti protinus inde sui.
Quò pestem hanc fugias, tecum meditaberis ante
Vt constes, si te causa furoris adit.
In specula tanquam vigilat, qui præuidet hostem:
Sic vigila, incauto ne ruat ira tibi.
Egrediensq; domum tanquam certamen adires,
Limine sub primo prouidus arma cape.
Teq; para, sicut timeas ne forte latrones,
Aut tibi non visus hostis obesse queat.
Si tamen incautus fueris prolapsus in iram,
Ne tuleris mersum te iacuisse diu.
Intered nullo sumas de crimine pœnas,

In punis vllum non habet ira modum.
Lenitiam nimiam tu detestabere semper:
Et modicas pœnas tu pius vltor ames.
Præcipue dulceis genitor si affligis alumnos,
Cum modica in natos pœna sit apta patris.
Ad veniam pronum cùm te natura crearit,
Siluestris crudus non imitere feras.
Est quoque vitandus motu contrarius irę,
Qui semper ludo vertitur, inq; ioco.
Non nos ad ludos genuit natura, iocosq;
Sed multò grauius illa requirit opus.
Vtilius in dictis, sis plusquam voce facetus:
Seria sint crebro rarior ipse iocus.
Non tamen illa vetat nos ludere nonq; iocari:
Sed iubet in rebus omnibus esse modum.
Non decet, vt tanquam durus fugiaris & asper,
Nec quoque contemptus sis lenitatę tua.
Gloria non ludo tibi sit quæsita, iocoq;
Vt tota fias ludius vrbe vagus.
Vt licuit fessis vires reparare quietę,
Sic salibus vtaris te recreare licet.
Cumq; iocum misces, sic sic moderabere dictis,
Ne facile ex ipsa tu grauitate cadas.
Sit iocus ingenuus, moderatus, sit verecundus,
In quo vel multùm luceat ingenium
Ergo vbi tempus erit non tanquam scurra volabis,
Sim salibus pondus, gestus & ipse grauis.
Vox tua non nimio fuerit clamore soluta,
Nec citus incessus, cuiq; tumultus ines.

Non

Non ladant quenquam, caueas, tua verba iocosa,
Contristent nullum, sint sine dente sales.
Nec ridere vetant quenquam mea scripta modeste,
Sed nimium risum forma decora vetat.
Turpis enim risus nimius: nam fusus vbiq;
Quid pueri, & fractus, quid mulieris habet.
Est odio dignus, qui furtum riserit, & qui
De damno alterius soluerit ora iocans.
In ludis vites, quo quaestus quaeritur, & quo
Iacturam nimiam temporis ipse facis.
Si fueris iuuenis, ludum tibi quære laboris,
Qui causam praestet, quem moderere tamen.
Ludere non nunquam vidi, nec perdere tempus
Egregium digna cum grauitate senem.
Nec iuuenem vidi nimio se dedere ludo,
De quo praecipui spes sit habenda boni.
Sit tibi congressus cum doctis, cumq; peritis,
Cum studio lassus, te recreare cupis.
Ingenij vires auget meditatio, gressus
Incolumeis artus non minùs ille facit.
Sentiat & frænum Veneris, cibiq; voluptas,
Ne quantùm libuit sit spatiata procul.
Qui nimis indulget Veneri, paretq; palato,
Repecus est, tantùm nomine dictus homo.
Quisq; Cupidineas poterit compescere flammas,
Qui fomenta rogis abstulit apta suis.
Quiq; nihil volens animo, quod concitet ignem,
Nec nisi seruata sobrietate bibit.
Impugnam dubij noli prodire duelli,

Cum Venere & mensa prælia inire cave.
Nec tentare velis quàm sobrius, quamq; pudicus.
Cùm Thais, & mensa sit tibi structa prope.
Difficile est flammam non se inclinare repentè,
Proxima cùm rapido sit sita stupa rogo.
Turpia quo vincas, fac certes eminus illis,
Fac tua ne subeat tecta petulca cohors.
Ne veniant intrò, cum vectibus obstrue portas,
Non tutum est illis conseriisse manus.
Non sine te victo, credas, in fine recedent,
Ipse triumphatus, & spoliatus eris.
Quæritur hac in re solùm fugiendo triumphus:
Quod mirere magis, est data, palma fuga.
Deniq; captivus si fortè Cupidinis ires,
Te properes redimas, quod minimo ære potes.
Excute de miseris laqueos cervicibus ipsos:
Vim facias fugias, est mora plena mali.
Nam quicunq; fuit Veneri blanditus, ab illa
Durius affectus ignibus esse solet.
Cumq; homo sis, certè divinæ mentis imago,
Vi Dei à carne est, sic procul esse stude.
Quamvis clàm pecces, semper tamen est tibi testis,
Cur alium, quam te, tu vereare magis?
Qui latitant intus motus depone decoros:
Nec minùs id cures, si quia fortè latent.
Namq; parum refert, quòd nemo perspicit illa
Quos tacitò tecum nocte, die q; vides.
Omnibus est vitio Veneris damnosa libido,
Sed nihil in senibus fœdius esse potest.

Præ-

Præterea ſenibus nimirum conuenit illud,
Exemplo vt iuuenes, conſiliisq́, regant.
Se præſtent taleis coram ſermonibus illis,
Vt poſſint multo ſemper honore coli.
Hoc ſolo quondam fuerat veneranda ſenectus,
Hoc ſola antiquos ij colnere patres.
Sed contra iuuenes ſenium venerentur honores,
Sint comites longæ, ſubſidiumq́, viæ.
Curia ſi poſcat, ſeu ſacri feſta diei,
Hærebit ſenibus aſſiſtoſa cohors:
Ex quibus optabunt, cuius præcepta ſequantur,
Geſta ſimul cuius ſint imitanda magis.
Eſt (fateor) magnum ſignum virtutis in illo,
Obſequio gaudet qui celebrare ſenem.
Confirmet iuuenum labor, & patientia corpus,
Arcendi à Venere ſunt, nimioq́, mero.
Sintq́, cibi viles poſiti, vulgataq́, menſa:
Nam tantùm venter non ſatiuranda gula eſt.
Non epulas iuueni mittat famoſa popina,
Sed quas decoxit parca coquina patris.
Sed neque deſidiæ dederim ſe ætate ſenili:
Quis neget à ſenibus plurima poſſe geri?
Aut leget, aut ſcribet, cùm primùm ex ædere uerſus
Sacra, vbi iam primo Sole oriente fuit.
Aut puer addiſcat, tum plurima corde reponat:
Nam facile eſt puerum cogere ferre iugum.
Ne cures, ſenſus ſinon percepit auditus
Cùm recitat multos ordine mente libros.
Nam ſparſum in terra ſemen producere germen

Differt per menseis, & tamen inde feret.
Intereà terræ matris nutritur in aluo,
Cui tacitè vires suggerit illa suas.
Sic puer à teneris quæcunq; acceperit annis,
Reddere iam fructus sentiet illa senex.
Sit tibi conueniens cultus, grauitateq; dignus,
Ne retegat vestis, quod tibi corde latet.
Vestis enim multos molleis detexit: & intus
Innatum prodit, quod latet vlcus iners.
Quæ rubet in summo carnis vesica pusilla,
Est iudex infrà sanguinis illa mali.
Delicias potiùs credas mulieribus aptas,
Quamuis, nec nimias in muliere probem.
Quare deliciæ si sint, non mollis inhære,
Nec, si non fuerint, auxius ipse pete.
Fœmineos cultus & gestus sumere molleis,
Vir putet indignum, ridiculumq; simul.
Quid magis est contra naturam, siue decorum,
Quàm sub fœminea viuere veste virum?
Sorde tamen careas, ne tu videaris agrestis:
Mollitiem pariter, duritiemq; fuge.
Sis pauper quamuis, tu mundè viuere debes:
Nam neque, qui pauper, sordidus esse licet.
Nec qui te mollem prohibet, te suadet agrestem,
Et durum: quod stat inter vtrumq; probat.
Dedecet, extremis nimiùm quodcunq; propinquat:
Est laudi, centrum quod mediumq; tenet.
Simplicitas mensæ placeat, non arte paratæ,
Quæ possit tantùm tollere parca famem.

Sufficiens

Sufficiens victus tibi sit, nec præbeat vllam
Mensa voluptatem, sed tibi nuda cibum.
Excitet ipsa fames ieiunum longa palatum,
Non sapor inuentus mulceat arte gulam.
Fercula non numeres, escas sed posce salubreis,
Et placeat quæ olim cœna placebat auis.
Nec magni esse puta, quòd gloria parta eulinæ
Sit tibi, sed potiùs sobrietate stude.
Nec tam parcus eris, subeas ut quòd nomen auari,
Et sis vulgi fabula trita tui.
In minimis rebus ne cures figere leges,
Lætitiæ vt nullus sit datus vsq; locus.
Nam res parua quidem per magnum dedecus adfert,
Et tamen illa nihil vtilitatis habet.
At cùm sint multæ partes, causæq; decori,
Præcipua est, scimus quæ variare vices.
Non est semper idem sed quoquo tempore honestum
Vt Proteus multas vertitur in facies.
Quidquid enim iuuenem decuit, puerũq; tenellum,
Nõ eadem possunt illa decere senem.
Conditio, officium, tempus distinguit, & ætas,
Vt modò quod decuit, nunc tibi turpe putes.
Iamq; magistratus, modò quod priuatus agebas,
Desine: nunc aliud publica causa monet.
Quæ fuerant, medijs tibi verba ferocia castris,
Vrbe morans mitte, respuit illa toga.
Si studijs ageris iuuenilibus ipse senescens,
Scito quòd officium deseris omne tuum.
Si neq; mutauit mores præcepta senectus,

Vt tetrum monstrum diffugienda tua est,
Optasti iuuenis pertingere aduſq; ſenectam,
At nunc optanda eſt altera vita ſeni.
Ridendus ſenior pueri qui ſuſcipit artes,
Tanquam ſi in cunis nunc recubare velit.
Aſpice quàm differs aliis in veſte ſacerdos,
Tantùm differe moribus ipſe velis.
Et quò maior apex cingit tua tempora, tantò
Eſt morum cura maior habenda tibi.
Non facias vt quiſq; facit, cùm non tibi quiſq;
Collatus fuerit: perfice maius opus.
Si leo ſis factus, mores aſſume leonis,
Non vltrà mores muris habere licet.
Cumq; oculos aquila dederit tibi Chriſtus, in altum
Suſpice, nec pergas vertere talpa ſolum.
Cùm fueras miles, caſtrorum tela mouebas,
Nunc Chriſti miles, accipe tela, crucem.
Cùm medicum gereres, curabas corpora morbis,
Nunc debes factus paſcere paſtor oues.
Aduigilans noctu paſtor cuſtodit ouile,
Ne pecudes perdat vis rabioſa lupi.
Nec ſatis eſt ſeſe paſtorem reddere ſaluum
Sed debet ſaluum reddere & ipſe gregem
At qui cum propria vitam contemnit ouilis,
Amotus proprio iure erit ille grege.
Paſtores ouium multi ſeſe eſſe fatentur,
Sortiti falsò nomina tanta ſibi:
Nam neque ieiunt curam meditantur ouilis,
Nec quoq; ſi cupiant, munera ferre ſciunt.

Quin

Quin ſatur eſt paſtor rarus, licet omnia plena
Suppeditet ſtomacho luxurioſa gula.
Adde etiam, nulla careas vt parte decori:
Proſpice, perſona, qua magis apta tibi.
Eſt alij laudi, vultum ſeruare ſeuerum:
Aſt alij læta frons magis apta ſedet.
Si velit hic triſtem ſe reddere, fiet ineptus:
Si velit ille hilarem, non magis aptus erit.
Eſt alius lenis, facilis, ſermone facetus,
Hic quoq; triſtitiæ poſsit habere nihil.
Hic ſimplex, veri, & recti ſit ſemper amicus,
Hic niſi cum multa neſciat arte loqui.
Quiſq; igitur teneat, ſibi quod natura ſecundat,
Si modo nil vitij, nil fouet ille mali.
Eſt operæ pretium doctos ſpectare colonos,
Semina qui reddunt congrua cuiq; ſolo.
Agricola in primis natum tam quærit agelli,
Inſerit hic plantas, quas regio ipſa cupit.
Collibus inſigit viteis, in vallibus alnos,
In ſiccis melius creſcit oliua locis.
Frigida caſtaneis ſunt pinguia conſita malis.
Littoribus myrrhus, citrea poma virent.
Gaudet monte pyrus, ſed creſcit aquatica lotho,
Et platanus riguis maxima creſcit aquis.
Ergo tuam noſcas naturam, herebis & illi
Sedulus, vt præſtes, nam ſua quenq; decent.
Ingenio ſplendere tuo nitere, labora,
Et tibi non pluris ſint aliena tuis.
Non bene deuitat, quod quis ſortitur ab aſtris,

Nec

Nec facilè acquiret, quod sibi stella negat.
Quando metum ceruus deponet? quando leonem
Non timeat taurus? agnaq; parua lupum?
Quando vel assuetam mittet vulpecula fraudem?
Aut erit auritus absq; timore lepus?
Non vnquam mergus se mergere desinet vndis:
Non canet & coruus, vt modulatur olor.
Caprea non siluas, non linquet rana paludem,
Non gemitum turtur arbore mœsta canens.
Non aliter cupimus quidquam renuente Minerua,
Quàm nauta aduerso flumine ferre ratem.
Qui trahit aduersis nauem currentibus vndis,
Gaudere optatis non solet ille diu.
Quippe quòd amissis superante labore lacertis,
Reycitur præceps deteriore loco.
Sic sua qui spernit, captans aliena frequenter,
Amittens propria, non aliena capit.
Quiq; vnum retinens, aliud studiosius optat,
Sæpe hic delusus stultus vtroque caret.
At si te munus Prætoris, siue Tribuni
Officium ignotum fortè subire iubet:
Vt quia verba foro tibi sint facienda diserte,
Cùm neque sis rhetor, gramaticusq; minùs:
Tunc causam meditare prius, scitare peritos,
Quod nescis, discas, suppleat illa labor.
Vt si non possis nomen, laudemq; referre,
Non referus saltem, dedecus, atq; notam.
Quæ semel est autem viuendi forma recepta,
Hanc serues, temere nec variare velis.

Si

Si tamen est ratio mutandi & perferat ætas,
Fac mutans doceas, quod ratione facis.
Non levis vt ventus, sed prorè mobilis adsis,
Constans, non durus propositi q́, tenax.
Nam variare genus vitæ, levitatis habetur,
Si temere, levitas non leve crimen erit.
Tunc quoque paulatim mutes: nam facta repentè
Versio non hominum suspitione caret.
Ipse Magistratus cùm sis, tunc exue mentem
privatam, populi te caput esse putes.
Per te tunc populus loquitur, sentit q́, videt q́,
Vtile quod fuerit omnibus ergo vide.
Publica privatis præferri commoda debent,
Iudicis debet immemor esse sui.
Tum decus observes quod majestate verendâ
Sit dignum: mutes os, habitumq́, tuum.
Multa quidem Prætor prohibet, sic plurima Consul,
Quæ neque privato sunt prohibenda viro.
Multa etiam damnare solet tempusq́, locusq́,
Quæ neque sunt alio tempore digna nota.
Iurgavit merito Sophoclem collega Pericles,
Quòd puerum inspexit, dum sacra jura daret.
Si fecisset idem campo, mediâq́, palæstra,
Causa fuit jurgi nulla Periclis ibi.
Ergo velut citharæ concordant ordine nervi,
Vt cupidas aures mulceat arte sonus:
Sic tempus, persona, locus, concordet & ætas,
Officij vt species, vnitatq́, decus.
Est quoque privati civis, cum civibus æquè

Viuere

Viuere, nec socios subdere velle suos.
Nec tamen inferiùs patiatur subditus esse,
Cum quo iura volunt viuere lege pari.
Non adeò simplex, vt contemnaris ab vllo,
Dumq; velis lenis, languidus esse caue.
Non cuiquam visus sis ambitiosus, & audax:
Fac te submittas, non tamen abycias.
Æquus eris paribus: sed nec contemne minores:
Maiores æqua tu quoque mente colas.
Non tamem hos metuas multa formidine tristis:
Nam quicunq; sine est crimine, non metuit.
O quantùm debes turpi tu labe carere,
Res sola hæc homines absq; timore facit.
Factio non placeat: communis pacis amator
Consule tranquillæ, pepetuæq; rei.
Qui bene gesserunt iam publica munera, vel qui
Nunc præsunt, merito semper honore cole.
Quos quoq; vulgauit virtutis nomen, honora:
Pulchrum est & natis esse in honore patres.
Ipse peregrina si fortè moraris in vrbe,
Nullius vrbanæ sit tibi cura rei.
Sed tantùm proprij maneat tibi cura negoti
Ne tibi quis dicat, aduena vade foras.
Sed neq; tu debes peregrinos spernere ciuis,
Accipias quenquem mitis in vrbe tua.
Durus in externos, hominem sese exuit omnem,
Et versus in sæuam se probat esse feram.
Non alia causa vertit sua membra Lycaon,
Quàm quod in externos sæuus & asper erat.

Omne

Omne tibi credas quod sit tolerabile pondus:
Sed quod turpe grauat non tolerabile erit.
Turpe grauat, quidquid mores subuertit honestos,
Et quidquid famæ te facit esse malæ.
Turpia naturæ celabis membra verendæ,
Nam natura, tegens illa, magistra tua est.
Histrio, qui in scenam vadit, sibi subligar aptat,
Ne prodat quidquid lex verecunda tegit.
Non igitur tuleris, quòd te verecundior is sit
Senicus, impunè cui licet esse malo.
Nec Cynicis credas, quibus omnia nomina honesta,
Turpia sed caueas dicere verba palàm.
Turpibus abstineas dictis, grauiora loquutus,
Turpia iacturam dicta pudoris habent.
Sit tibi circuitus, cùm dicere postulat vsus,
Mens etenim, & lingua debet honesta loqui.
Turpia nam subeunt dicta ad penetralia mentis,
Sollicitantq́; animum, quem tenet alta quies.
Tamq́; ea tu spernas, quàm res male spernis olentes,
Quàm spernis lubricum progrediendo locum.
Nam quod olet, nares lædit, via lubrica plantas:
Sed lædunt mores turpia verba bonos.
De qua nil didicit quisquam, non arte loquatur:
Nam sæpe est præsens, qui sua dicta neget.
Græca parum doctus non disserat ore Latinus,
Virgilij interpres nec quoque Græcus erit.
Qui studuit leges, dimittat de medicinis
Dicere, cui tantùm nescia credat anus.
Præterea incessu sua debet inesse venustas,

Cùm

Cùm pateat semper omnibus ille palam.
Sæpe etenim incessus grauiter censetur: ab illo
Namq́; animi mores sæpe videre potes.
Non igitur lentus, non sit festinus: ametur,
Quem neutra in parte dicimus esse nimis.
Non placet incedas, sicut qui fercula portant:
Nec sicut solita est tradita sponsa viro.
Non tamen vt nimio cursu defessus anheles,
Aut capite incuruo præcipitatus eas.
Nec minùs in verbis speciem, formamq́; decori
Inuenies: laudem ferre loquendo potes.
Dum loqueris socios inter, carosq́; sodaleis,
Tunc insit sermo pressior ore tuo.
At cùm verba foro facies, contentio maior,
Nisibus inq́; aureis vox tua missa fluat.
Verba tamen studeas præclara expromere voce,
Claram natura tum tua cura dabit.
Seria si tractas, vultus assume seueros,
Si leuius quidquam, sit tibi fronte lepos.
Iudicio fueris plusquam sermone seuerus,
Sit tibi, quam vultus, vitæ seuera magis.
Sit sale conditus sermo, cedasq́; libenter
Consorti, & vinci sæpe putato decus.
Veridicus fueris, nulli tua verba secundent:
Sed tamen hac in re debet inesse modus.
Nam satis est certè, te dissentire, fateri:
Cui non consentis desine turpe loqui.
Ausculta socios, cùm sis tua verba loquutus:
Te solum turpe est omnia velle loqui.

Si quis

Si quis contendat (vel falsum) crede proterue,
Iurgia ne forte sint iucunda tibi.
Non ideo turbes alios audire volentes
Hoc, quia delectent te referenda parùm:
Quin patiens alios audi quæcunque loquentes,
Exeat & sermo prior ore tuo.
Si iuuat aut tristem te fronte, vel esse seuerum,
Non damnes illos quos iuuat esse hilares.
Sit tibi contemptus nemo, quia purior ille est:
Consilio, & facto, sed magis ipse tuua.
Dum loqueris, caueas, ne sermo lapsus ab ore,
Indicet id morbi, quod tibi corde latet.
Non quenquam carpes absentem: namque videris
Proditor incauti cædere terga viri.
Sed spectes etiam, ne sis te carpere visus,
Dum damnas illos, quos imitare viros.
Quoscunque alloqueris, fac vt digneris honore,
Nec minimum è plebe spernere visus eris.
Quin potius studeas, omneis videaris amare:
Nam verè id fertur, non nisi amatus, amat.
Cunctorum placidis iucunda est gratia verbis,
Et seruanda vetus semper amicitia est.
Non quenquam interroges acri, nec voce minaci:
Responsum mitis, tu facilisque dabis.
Non nimis extollas quenquam, nec præferis vllum,
Laudibus, & vitijs: adsit vtrisque modus.
Sic lauda aut damna, ne possit dicere quisquam,
Iudicij minimum vel bonitatis habes.
Insuper idcirco non delectabere lingua,
Vulnus in absentes vt iaculare viros.

Quisque quòd absenteis carpentem signat, & odit,
Dum putat absenti non secus esse sibi.
Non tibi blandiri quenquam patiare, nec vlli
Tu blanditus eris: error vterque grauis.
Blanditus caueas, quòd tu merceris amicos:
Sed neque blanditus te magis vllus emat.
Non plus esse putes, si te quis laudat iniquus,
Quàm tibi si causa laudis iniqua foret.
Adscribe ad laudem veram maledicta malorum,
Summa etenim laus est, displicuisse malis.
Difficile est blandis verbis occludier aureis,
Egregium in primis idque refertur opus.
Non puto Syrenas alias, quas spreuit Vlysses,
Quàm blandas linguas: sunt ea monstra satis.
Semper blanda magis, quam tu maledicta timebis,
Nam vitia ostendunt hec magis, illa tegunt.
Quem sentit morbum, medicari enititur æger:
At quem non sentit, negligit, vnde perit.
Quod patet exteriùs, facile est curabile, vulnus,
Phillyridem fallet, quod latet interiùs.
Non aliud, quàm sis, studeas in plebe videri,
Sed neque, quod non es, finxeris esse tibi.
Non etiam referas tua fortia facta, genúsque,
Et proauos, quidquid nobilitatis habes.
Non decet vt laudum quisquam sit præco suarum,
Nec decet alterius stemmata voce premat.
Alterius famæ dictis non liuidus obstes,
Cantator facti sis minùs ipse tui.
Vt sapiens nullus populo sua crimina vulgat,
Sic neque virtutes prædicat ille suas.

Nam

Nam laus, vt fertur, proprio sordescit ab ore,
Præsertim falsa, milite digna leui.
Sed magis id facito, quò tu referaris ab omni,
Ductus in exemplum posteritate tua.
At sua qui fatuus diuulgat crimina multis,
Omnibus hic iure creditur esse furens.
Et seu falsa ferat de se, seu crimina vera,
Dignior est pœna, dignior ille cruce.
Si tamen acciderit, quod sis ignotus, & ipsa
Sint tua, tunc parcus illa referre potes.
Fac noscant homines, fuerit tibi si qua facultas,
Ne tamen ijs fiat illa molesta, vide.
Nemo etenim accensam posuit sub corbe lucernam,
Aut oculos propiùs, quàm decet esse, locat.
Gloria nam studio non est tibi vana petenda,
Non sapit is, si cui gloria vana placet.
At vana est omnis: quia quidquid gessimus ipsi,
Non nos, sed summus dux fuit ipse Deus.
Propterea est omnis cœlesti debita Patri
Gloria, sic Christi dicere sponsa docet.
Immeritis igitur nobis est si qua tributa,
Hæc poterit vana dicier, atque leuis.
At si quem obiurges, cura ne percitus ira
Sis visus, sed quòd doctus amore facis.
Sæpe nihil prodest nimium reprehensor acerbus,
Plus prodest hilaris, nam magis ille docet.
Errori veniam facilis donabis, & illi
Non dandam dices, si repetitus erit.
Si neque verba valent, & carior ipse reprensus,
Vtere carceribus, compede stringe pedes.

Non nimiùm longè fueris iurgando profectus,
Inter disiunctos acrior esse caue.
Si sapias, medicos iurgans imitare peritos,
Qui tantùm vt sanent, putrida membra secant.
Sic tu, quò prosis, prudenter corripe charos:
Non odium quæras, dum malefacta refers.
Ergo, sit hoc rarò, cúmque est iniuria, cesset:
Sit tunc, cùm melior nulla relicta via est.
Si quis te contra moneat, patiare monentem,
Qui monet, vt prosit, non graue dicta feras.
Nam, si te merito iurgauit, potuit ille:
Sin minùs, is voluit vtilis esse tibi.
Te si quando procax inimicus dente lacessit:
Viere & aduersus hunc grauitate tua.
Heu, quantum nocuit sine ferro callidus hostis,
Si facit, vt solita tu grauitate cadas?
Non quidquam indignum sancto tibi decidat ore:
Quamuis ille canis improba verba latret.
Præterea intendas, ne sermo longiùs erret,
Digressus propera, luce reuerte domum.
Prospice, ne quisquam dicat iam luce propinqua,
Iam tandem ad causam, propositúmque redi.
Denique cùm sentis socios sermone grauari,
Desine, ne pergas longiùs esse grauis.
Non habites ædes, pictura, & marmore cultas:
Sed salubrem cures incoluisse domum.
Hanc seu tu fabricas, pretio seu suscipis emptam,
Aspice qualem vsus exigit ipse tuus.
Nam domus humanos cùm solùm fiat in vsus,
Adsit duntaxat vsibus apta tuis.

Nec

Nec tibi de cultis domibus quærenda voluptas:
Sed magis è cella interiore tua.
Hanc ſi mundabis, miros tibi fundet odores,
Sume voluptates, quot cupis inde tibi.
Cúmque domo verſes, non toto tempore vitæ,
In cella maneas noctibus, atque die.
Propterea à Aſſyrio cures hanc ſpargere odore,
Hæc cures omni quo deceretur ope.
Non igitur dominus pulchra noſcatur ab æde:
Sed domus à domino ſit celebrata ſuo.
Non decet vt totus tibi ſplendor ab æde petatur,
Splendorem domini ſed iuuet ipſa domus.
Non queat illa frequens in te ſententia dici:
Quàm diſpar dominus eſt tibi priſca domus!
Sæpe ego dicentes audiui tempore noſtro.
Heu antiqua domus quàm tibi diſpar herus!
Non etiam condas maiora palatia ruri,
Quàm modò præſcriptus dictet in æde modus.
Sic manum geſtus, ſic os, oculóſque gubernes,
Iudicium vt præſtes, qualiter intus habes.
Quos autem geſtus aliorum ducis ineptos,
In te crede illos poſſe placere minùs.
At ſi quid dubitas, fidos tibi conſule amicos,
Vt quidquid peccas te monuiſſe velint.
Sic faciunt docti pictores, ſícque poëtæ:
Interrogant alios quale videtur opus.
Sed neque tu cupidus turpeis ſectaberis artes,
Multarum vt dominus efficiaris opum.
Sed pariter fugias quæ ſordida lucra putantur:
Namque odij cauſas, inuidiámque parant.

Quare non cuſtos portus, non fœnoris auctor,
Non lanius, caupo: ſordet id omne genus.
Et ſordent omnes, quorum non artis emetur
Ingenium, ſed opus, id genus omne fuge.
Nil habet ingenij, quicquid vulgata taberna
Expoſuit, quaq; eſt prompta popina gula.
Alia, ſaltatur ſeruant nil prorſus honeſti.
Mercator tenuis, ſordidius ipſe quoq; eſt.
Quiſquis emit merces, illas ſubitoq; reuendit:
Periurus, vanus ſemper is eſſe ſolet.
Nil autem vano, & periuro turpius extat:
Namq; homines fraudat, negligit ille deos.
At ſi mercator magnus ſit mercis opimæ:
Vt puto, non magno vertitur ille probro.
Hic quoq; laudari poterit ſi plenus, ad agros
Se tandem vertens, agricola eſſe cupit,
Nil melius cultu terræ, nil dignius illa:
Quæ pauca accipiens, plurima donat hero.
Hanc quondam mundi victores, rure modeſto,
Vertere cum propria non rubuere manu.
Curia Conſcriptos Patres cogebat ab agris,
Quiq; hodie eſt Conſul, ante bubulcus erat:
Artifices inter medicus laudatur & archi-
Tectus, qui fabros ædificare docet.
Officij exactor non ſis, ſi redditur vltro
Gratia non ſegnis ipſe receptor eris.
Non cito crediderис vulgo, quæcunq; feruntur,
Sæpe fuit falſum: quod mala lingua refert.
Sæpe mali quærunt ſub nomine ſimplicitatis,
Dum referunt falſa, præcipitare bonos.

Artibus

Artibus istorum, quantum potes, ipse resiste:
Dispice quæ dicunt, dispice quæ faciunt.
Te placidum studeas rebus præstare secundis,
Nam magis id debes, quò magis ipse potes.
At si sint tenues tibi res, solertia quæras,
Ne fueris visus omnibus esse miser.
Non tua cùm doleas, aliorum commoda narres,
Ne videare suis inuidus esse bonis.
Discere semper ama, nec sit tibi maxima cura
A quo tu discas: sit didicisse satis.
Quod nosti, doceas alios, id scire volenteis:
Sis memor ex alijs te didicisse priùs.
Iámque operi finem nostra præscribe Thaleia:
Tempore quæ superant commodiore canes.
Da veniam, lector, si sum nimis ipse profectus:
Nam nisi prodesse, nil mea Musa cupit.

FINIS.

¶ PETRI CARMELIANI, *in D. Mancini Libellum de quatuor* Virtutibus, Hexastichon.

Qui cupit eximios mores, vitámque beatam
Noscere, Mancini carmina docta legat.
Cardineas libro virtutes quatuor vno
Is bene conscribit, moribus adsimulant.
Mancino cedant Curij, cedántque Catones,
Edita vel quorum scripta fuere priùs.

¶ GVLIELMI DIVITIS GANdauensis *de passione Dominica,* Elegia.

demens

QVo fugis ah demus, vrgẽtibus vsq; periclis,
Quo tandem infœlix fœmina, vir que ruis?
Pedite quid properas certo te abtrudere letho,
Securus quo te Christius amore petat?
Venit in hunc mundum Soboles diuina Tonantis,
Quæ tenet ætherei cum Patre sceptra poli.
Ex domino seruus nostræ sub imagine carnis
Paruit, è vero passibilisque Deo.
Tu cinis, & fugienda lues sublimia poscis
Turgide, nec quenquam credis habere parem.
Ille pius, iusto veneratus honore parentes,
Polluit haud vllis sabbata sancta malis.
Tu patris, atque Dei qui te reperauit, abhorres
Iussa: iuuat festos te violare dies.
Ille suum domuit tenui potúque cibóque
Corpus: & vt viuat, illius esca fuit.
Tu Bromio indulges Cypriam sectare nefandam,
Exaturat ventrem ganea nulla tuum.
Sermo illi cunctus frugi, populúmque frequentem,
Quo licet ad cœlos ire, docebat iter.
Tu laceras fratrem dictis, Superósque lacessis,
Te cæpit obscœnis fabula vana iocis.
Ille manes odit, modico contentus, auarus
Pauperis, & lætæ pacis amator erat.
Tu rapis, innocuum rabido petis ore cruorem,
Bella mouens, ne te ditior alter eat.
Obrueris cumulo vitiorum, nulla salutis
Cura, tibi medicam nec petis æger opem.
Discere miser quanti te fecerit, vt tibi summam
Det requiem, & superi gaudia vera chori.

Ipse

Ipſe Deus prote capitúrque, & ſiſtitur Annæ,
Cùm media hibernis nox veheretur equis.
Impetitúrque alapis, & iniqui voce miniſtri,
Vrbe illinc tota diſcruciandus abit.
Teſtibus arguitur diro ſub Principe falſis,
Dignus ob hoc ſæua dicitur eſſe nece.
Hinc reus ad Ponti diducitur ora Pilati,
Fune manum indignis vinctus vtranque modis.
Inde apud Herodis Galilæa palatia Regis,
Dum tacito eſt alba luditur ore toga.
Fallitur Herodes, neque enim color vllus Ieſu
Aptior, hæc puræ munera mentis erant.
Alba nec infectis fucata eſt lana venenis,
Sic macula in nitido non erat vlla Deo.
Rurſius ad iniuſti tractus prætoria Pontî,
Huic licet obtecti ſit nota nulla mali.
Heu pietas, virtutis honor, diuina Propago
Addicta horrendæ iudicis ore cruci eſt.
O dolor, ad dirum manet hoſtia ſacra tribunal,
Hoſtia pro mendis interitura tuis.
Innocuus tereti configeris Agne columnæ,
Caderis hic diris corpora nuda flagris.
Et capiti è ſpina ſertum intorquetur acuta,
Inque vicem tectis Chriſte ferire genis.
In vultúmque ſpuunt, naréſque in lumina mungunt:
Polluitur fœdis os, facieſque modis.
Diſſecat vt Paphiam Iouis armiger vngue volucrẽ,
Ædona dulciſoni gutturis aſtur auem:
Haud ſecus atherei lacerantur membra Tonantis,
Vndique diſciſſa ſanguinolenta cute.

Nec mouet immanem ſpeculum miſerabile turbam,
Tam fera Tyſiphones corda furore tument.
Conclamant affige cruci, vitámque reſolue,
Ni facias, magni Cæſaris hoſtis eris.
Dúmque ſuis humeris ingenti pondere lignum
Geſtat & immerita morte necandus abit:
Obuia facta ſuo genitrix mœſtiſſima gnato,
Candidula plangit pectora caſta manus.
Gnate, nitor cœli, diuini pignus amoris,
Gnate, decus vitæ, ſpeſque ſalúſque meæ:
Quis tam crudeleis in te mihi concitat iras?
Cui tantum de te, Gnate benigne, lice:?
Quæ te dira mihi tollit fortuna parenti?
Quo traheris miſero diſcruciande modo?
Huc tua prænitidæ deflectas lumina frontis,
Huc agedum matrem conſpice quæſo tuam.
Te meus hic venter quondam tulit, optime Fili,
Atque tuum è noſtro corpore corpus habes.
Suxeris has etiam, proles generoſa, papillas,
Adſpice me, altricem ne fuge Gnate piam.
O immites, nimiúmque truces, Solymique ſceleſti,
Quo genitum fertis impia turba meum?
Quod ſcelus admiſit? varijs miracula terris
Signa dedit, veri ſat manifeſta Dei.
Illius hæc meritis crudelia facta rependis?
Atque pijs factis talia dona refers?
Me miſeram ſinito moriturum tangere gnatum,
Clamat & amiſſa voce recumbit humi.
Ille abit, in terram deiectis mœſtus ocellis,
Suplicijque venit feſſus aduſque locum.

Heu

Heu bonitas, celsi patitur Regnator Olympi
Latrones inter pendulus esse duos.
Felle etiam sitiens, & amaro potus aceto est:
Illius & tenerum confodit hasta latus.
Efflsuit hinc tenuis commissa sanguine lympha,
Lympha salutaris, dulce leuamen aquæ.
Militis hic oculos lucis reserauit egenos,
Próque fero gratus vulnere visus adest.
Probra quid, & risus, mordacia scommata dicam?
Conclamant raucis dira caterua sonis.
Patre Deo iactat genitum se: destruit ohe
Tertio & hæc reficit diruta templa die.
Te modò, qui potis es reliquos seruare, refigas,
Sectemur legem credula turba tuam.
O genus hoc quantùm dulcis peramaris Iesu!
Cui propria Stygias morte repellis aquas.
Claráque stelligeri recludis lumina cœli,
Restituit patrios exulibúsque Lares.
En home, quæ prote patitur tormenta Redemptor,
Et potes Auctoris non meminisse tui?
Namque tibi surdo pœnitùs, somnóque sepulto
Redditur acceptis gratia nulla bonis.
Ipse ego, qui verbum facio grauiore ruina
Deferror, & scelerum perpete mole premor.
Delictum cognosco meum, sordémque reatus:
Quod deceat video, deteriora sequor.
Summe Pater faueas homini, nisi labe remerso,
Tendit ad inferni stagna timenda lacus:
Dirus vbi affligit manes Rhadamanthus iniquos,
Et rapido infectum concremat igne scelus.

Te

Te ſine ſupremi conſcendere ſidera mundi
Qui cupit, à primo colle ſub ima ruit.
Haud aliter, quàm ſi lembum ſine remige ducens
Tentet in aduerſum nauta ſubire vadum.
Hæc eſt vnius tua ſola potentia, ſolus
Cœleſti tantum munus ab arce pluis.
Quos tibi complacuit, legis ad tua regna: vocandis
Chriſte Deus ſeruis me quoque iunge tuis.
Da lucem, & cæcas animi depelle tenebras,
In te oculos ſemper figat vt ille ſuos.
Da mea deplorem lacrymis peccata ſubortis,
Et tibi purgata mente reconcilier.
Hactenus infeſto fuimus ſub faſce repreſſi,
Nemo rerum poſthàc ampliùs eſſe putet,
Et pia iam ſacris referamus munia templis,
Vota quoque è mundo nobile corde ſacrum.
Nam deleta malæ penitus veſtigia culpæ,
Primáque originæ pulſa pericla notæ:
Mitis vbi nobis Seruator ab æthere miſſus
Crimina diffuſo ſanguine noſtra lauet.

ℊ GVLIELMI HERMANNI *Goudani pia Expoſtulatio.*

Ode dicolos diſtrophos. altero verſu hexametro dactilico, altero Archilochio tetrametro.

Seruator è cruce iam iam animam exhalaturus, adfatur hominem.

Primus

Primus hic versus artificiosissimus est: angustias enim spiritus hominis moribundi perpulchrè exprimit, eò quòd interruptus sit, & difficilis: quam obseruationem in multis prætereà carminibus comperies.

GEns humana extrema hæc tangant pectora voces:
Huc aureis, huc lumina tolle.
Ille ego, cui tellus fundata, & machina cœli:
Ille Auctor hominúmque, Deúmque
Supremum adfabor, letho vicinus amaro
Sta tantos spectare labores.
Suspice probroso insontem me stipite fixum,
Infamémque vtrinque latronem.
Vulnificam spinis plexam impressere coronam,
Hoc regni diadema tulere.
Namque salutauit colaphis, & arundine cæsum
Antè cohors, regémque vocauit.
Immunda illuuie fœdatum os, atque cruore
Sanguineo riguere capilli.
Quid plagas omneis memorẽ, aut opprobria? quidue
Terga feris sulcata flagellis?
En ferrugineos distento corpore clauos
Transegere manúsque, pedésque.
Vertice de summo, vel plantas vsque sub imas
Immunis pars nulla dolorum est.
Ipsa suis extant etiam compagibus ossa,
Læsa graui sunt viscera quassu.
Per laceros artus numera vulnera mille,
Vnum sunt tot vulnera vulnus.

Vndant

Vndant purpurei fosso de corpore riui.
Irrubui, maduíque liquore:
Ceu maduit tinctus pressus calcator ab vuis:
Profluuij ceu sanguinis vndam
Rorat Sidonijs imbutum vellus ahenis.
Quo fremitu audis, atque boatu
Turba hæc obstrepitet: quot mî conuitia faxit.
Vibrat linguas more colubri,
Inque lupos versa sæuos, Libycósque leones
Ah grassantur oues, laniántque
Pastorem innocuum, quo crimine mouimus iras?
Non paui, non saucia foui?
Præbita ieiunis non veri alimonia verbi:
Ægris quando cura negata est?
Idque parum, vt ita functos de morte vocaui,
Hæc hodie est mî reddita merces.
Adspice & hoc poculi, sitibundo aconita propinant.
Obsecro num de vallibus istam
Ægypti vitem deserta per inuia ductam
Collibus apricis, & in aruis
Conseui? quid saxigeno torrente rigare?
Quid rorem cum nectare cœli
Depluere adiuuit? sudórque, operæq; colentum
Contriti periere tot anni.
Degener ac vitis botrum quàm gignit acerbum!
Fellitum produxit acetum.
Siccine commerui Iudæe effare? quid in me
Culpæ? si gens lecta fuisti
Gentibus è cunctis, si tellurem vbere gleba
Largitus toties & ab hoste

Eripui

Eripui, ſi promiſi poſt terrea cœlum,
Téne crucem, mortémque parare?
Fac ingrate tamen, fac ſupplicium meruiſſe:
Num Siculi ſumpſere tyranni
Supplicij tantum? num perſoluêre nocentes?
Mitior vrget pœna latrones.
Tu fera bellua me, tu tigride ſeuior ipſa
Vt fœdaſti, vt dilaniaſti!
Nil laceris reliquum iam ſanguinis artibus: omnẽ
Potauit ſitibunda dracæna.
Feruida nec feritas hauſto ſatiata cruore:
Nec tot ſumptis impia pœnis.
Nec letho tali vel tandem expleta quieſcet
Horrendo ſcelere, atque nefando.
Foſſura exanimum eſt, & languida funera ferro,
Extinctúmque extinguere tendet.
Ergo nec tenebræ (letho indoliturus iniquo
Lugubrem Sol ſumet amictum)
Nec trepidans tellus, ſaxi aut fragor ille crepantis,
Aut templi ſciſſura profani,
Non omnis mundi facies mœſtiſſima quibit
Veſanum terrere tumultum?
Quæ verò tantos cauſa ſuaſere labores
Quænam Patrem hominúmque, Deúmque
Caſibus his voluit? quæ ſors infeſta ſubegit
Denique acerbæ occumbere morti?
O homo, tu manuum, tu nobile plaſma mearum,
O noſtræ Deitatis imago,
Te propter nobis tempeſtas orta malorum:
Crux hæc, mors hæc propter eundem.

Hoc

Hoc penſanda modo vetiti libatio pomi:
Sic tua mî ſoluenda rapina eſt.
Immenſus ſuperauit amor, nos ille triumphans
Sublimi deduxit Olympo.
Suaſit homo fierem diuus, fierémque coëgit
Vermiculus, ludibria vulgi.
Totus flagrantes animos liquefactus amore,
Fudi caſus memet in omneis.
Tanta volens patior, rabies Iudæa miniſtra eſt,
Arbitrio eſt mors, vitáque noſtro.
Imperat vnus amor, ſeruire fatemur amori,
Atque faceſſere iuſſa lubentem.
Sponte Ionas audax veſtris inſulto procellis,
Limoſo figórque profundo.
Audeo Sampſonia mea fata laceſſere dextra.
Mortem vita duco priorem.
Quis tanto aut dulceis gnatos, caſtúmue cubile,
Aut ſeſe dilexit amore?
Quis tam ꝓbroſam mortem, aut ſic vidit acerbam?
Oh ſupremum túne Tonantem
Talia te propter, tam fœda, indignáque paſſum,
Sorberi atri faucibus Orci
Immotus ſpectabis hòmo? tum Caucaſius horrens,
Tum tu caute horrentior ipſa,
Tum tu ſaxificæ perpeſſus es ora Meduſæ,
Quamuis & iam marmora ſciſſa,
Tellurem tremulam, nigrantémque æthera cernas,
Fortunam miſerarier atram,
Te ſed iam dudum largos effundere fletus
Conſpicio, nec cgere monentis.

Agnoui

Agnoui, finxiq́, tuum sic namque Prometheus
Ingenium, sic mitia corda,
Sic animos dederam facileis mollescere amore,
Et mentem miserescere pronam.
Iam quos liuoris nostri fas carpere fructus,
Accipe, nil augustius illis.
Tu liuore salutifero seruabere nostro:
Hac pœna tua pœna ferenda est.
Nostra tuæ mors mortis erit mors: flammeus ensis
Hoc restinctus sanguine abibit.
Sanguinis hoc fluuio Phlegitontis stridula flāma
Tartarei sopita silescit.
Immortalis eris per me, deciesq́, beatus:
Factus homo te comparo Diuis.
Quo sudore vides, muto mansuetior agno
Supplicium dependo nocentis.
Iudex, & scelerum vindex, insanus amore
Exoluo sceleris cruciatum.
Dic iam nobile plasma meum, quæ præmia tanto
Sudori? quæ præmia amori?
Obsecro nonne tua pendentem stipite caussa,
Non cruce fixum, non moriturum.
Non talem, ac tantum meritis pro talibus, & tu
Me dignabere amore vicissim?
Gratus amor fuerit, mercedem hanc postulo solam,
Id ducam mercedis abunde.
Eia, mellifluo nexu innectamur amantes:
Tu me, te nos vsq́ fruemur.
Post obitum deges paradisi rure beato:
Aeternùm vescare licebit

Pomo vitalis ligni, spatiabere silua
Apricæ per amœna vireta.
Flumina, tum gemmis, auroq́; nitentia fuluo,
Mundus, & omnia propria sunto.
Ampla tu dominus cœli regnabis in aula:
Tecum ego, tu dominabere mecum.
Nec tamen interea ab terris trepedaueris vnquam,
Nam Pharaoq́; equiteſq́; rotæq́;
Turba fugax vlulans rubris voluuntur in vndis.
Solue metum, nil nempe perícli.
Confractus iam Marte meo est, victusq́; tyrannus:
Iam maxella effossa colubri.
Me duce bella geres, acie versabor in ipsa,
Armis, præsidiisq́; iuuabo,
Fulmine sub clypei, nostrisq́; tegêre sub alis:
Crux hæc densos ruperit hostes:
Insidijs etiam te circumuenerit hostis:
Inuitum non ille valebit.
Per q́; crucem, lethumq́; oro, tantos per amores,
Tute velis meminisse reuerti.
Hisce ego distentis reducem complectar amicam
Brachijs: mille oscula carpam.
Delitiæ nostræ, nostri præda vna triumphi:
Et spolia est peccator opima:
Sanguinis hic nitidus fons abluit: abluit vsq́;
Omnes sordes omne per æuum.
Sacrilegus Iudas immani crimine crimen,
posteriore priùs cumulauit.
Iam nunc expiro, exhortor te voce suprema
Seruatum spectare latronem.

ANTONII

MANCINELLI SPECVLVM DE MORIBVS ET OFFICIIS.

¶ *In quo, quatuor virtutum, Prudentia, Iustitia, Magnanimitatis, & Temperantiæ munera graphicè depinguntur.*

ANTONIVS

MANCINELLVS VELITERNVS

ad Phœstum filium.

Inspice virtutis speculum dulcissime fili:
Quo sapiens fias, quo probus ipse magis.
Dogmata percipies vitæ normamque loquendi,
Sanctus eris, nostra cœperis ire via.
Bina simul pergunt mea carmina, propereasque
Anterior dux est, posteriorque comes.

¶ SPECVLVM DE MORIBVS, & officijs, à quibus honestè viuendi *præcepta ducuntur.*

PRVDENTIÆ OFFICIA.

QVatuor è ducibus nascetur quicquid honestum:
Ab duce prudenti, iusto, forti, moderato.
Prudens vera videt, iustus sua cuique rependit:
Robur inest animo forti: modus, ordo modestus.
Quæ bona, quæ mala sint, prudens discernit apertè,
Qui sapiens, nouit diuina humanáque cuncta.
Cautio vel studium, ratio, intellectus adesse,
Prudenti debent, & circumspectio cuique,
Iusti sit pietas, concordia, religióque,
Est & amicitia, & clementia, læsio nulla,
Fortis magnanimus tolerat quæcunque benignè,
Magnificus, constans, metuens nil, turpia tantùm.
Temperat à vitijs, quicunque est parcus, honestus,
Quique verecundus, qui castus, qui moderatus.
Prudens est etiam iustus, fortis, moderatus.
Cui virtus vna est, debent reliquæ simul esse.

Omnibus in rebus prudens exquirere debet,
Quid verum fuerit, ratio quid poscat & vsus.
Errari & labi, nescireq; decipi rue,
Turpe malumq; viro (quicunq; est) ducimus esse.
Præterea agnoscens poterit ventura videre,
Præteritum, præsens, Prudentia scitq; futurum.
Principium sophiæ timor omnipotentis habetur,
Ergo Deum timeas sapiens si quæris haberi.
Nonne Deum solum, qui mundum fecit adora,
Qui genus humanum finxit, qui à morte redemit:
Respicit omnipotens gressus animumq; virorum,
Nec credas illi quicquam potuisse latere:
Siue cibum sumis, seu potum, dicis, agisue,
In domini laudem Paulus facienda reliquit.
In paruis etiam rebus vir non modo magnis,
Ab Ioue principium sumet dicens, faciensue:
Principio magni paruiq; operis vocitandus
Est Deus omnipotens, fœliciùs omnia cedent.
Qui valet ipse Deus votum mihi ritè secundet,
Adsit item rebus lapsis, dic incipiendo.
Ingenium viresq; tuas cognosce priusquam
Incipias aliquid, turpe est desistere cœptis.
Doctrinam citiùs quàm aurum mi dilige fili,
Est cunctis opibus melior sapientia rerum.
Si sapiens audit, longè adscientior extat:
Doctrinam stulti contemnunt velle doceri.
Cœli præcones auditum perge libenter:
Traditur auditus cuiq; vt perdiscant agenda.
Scriptura studium debes impendere sacræ:
Illa fidem munit. stolidi fiunt sapientes.
Doctrinam fili debes audire parentum, Despi-

Despiciens illos, omni virtute carebis.
Lætificat patrem sapiens, contristat ineptus:
Gloria magna patris sapiens, infamia demens.
Est pretiosa magis rebus sapientia cunctis.
Gloria vera datur sapientibus, haud locupleti.
Qui natos generant, laudandi q; qui parentes,
Qui tamen erudiunt etiam magis usq; probandi.
Si tibi sit gnatus, doctori trade perito:
Perdocet indoctus, quæ dedoceantur oportet.
Hæc illi, valeat qui reddere te meliorem,
Admittes, quem tu meliorem reddere possis.
Contubernalis fieri conare magistro,
Inde modestus eris, studiosior atq; peritus,
Discere, fili, artem nullam potes absq; magistro:
Ad præceptorem festino currito gressu.
Doctorem veluti sanctum, venerare parentem
Laudando semper, probris offendito nunquam.
Discere lecta velis, animoq; inscribere cuncta,
Ne libro amisso, te Antisthenes arguat alter.
Inter consocios lætus, placidusq; moreris
Et fuste & lingua, reprensus parce furori.
Doctior euades alios tu rite docendo:
Attentè pueros cogcs audire legenda.
Virtutis præcepta decet seruare magistrum:
Ni sanum caput est, vitiantur cætera membra.
Qui minimè veniunt auditum tempore certo,
Haud ultro expectes, velociùs inde redibunt.
Ludendi spacium puero concede modesto:
Fortior ad studium mens oblectatu redibit.
Vt tibi donetur prudentia, nocte diéque

Desidiam vites, studioq; impende laborem.
Dulcis doctrinæ fructus, radicula amara est.
Vt valeat, quis non succos potabit amaros?
Est ornamentum rebus doctrina secundis,
Rebus in aduersis doctrina est portus & aura.
Discitur ars ideo quo quisq; exerceat illam,
Auxilio vitæ seu laudi, lætitiæue.
Illa, quam nôrit, se quisq; exerceat arte.
Vsus enim egregiu rerum præceptor habetur.
Cur sapiens quærit doctrinam, pascitur amens
Erroris nebula, tum caco pectore vulgus.
Phiosophus similem viuo canit esse peritum,
Defuncto similis, quicunq; indoctus habetur.
Doctrina fiunt homines chari & sapientes.
Doctrina mores purgantur, sermo nitescit.
Aspectus veluti deducit ab aere lumen,
A disciplinis animo lux venerit ampla.
Quippe ego doctrina mallem cunctos superare
Dixit Aristoteli Macedo, quam rebus opimis.
Quiq; sua cunctis doctrina noscitur aptè,
Indicat insanum sermo, tracundia vultus.
Corruet is populus, rector cui stultus habetur:
Consilio multo regitur respublica ritè.
Consilium vulgo, ratio, discrimina rerum
Desunt, euades studio consultus, & arte.
Omnia consilio sapientia ducit agentes.
Consule qui sapiunt, cunctis in rebus agendis.
Plurima iuditio facienda, & non facienda
Alterius tibi sunt, sapientes consule semper.
Cum sapiente means, sapiens euadet amicus,

Stul-

Stultorum ſimilis fiet, ſapientibus hare.
Blandimenta cane fallacia, ne capiaris:
Fallit adulator, retinens ſub melle venenum.
Coruis innumeris, quam blando occurrere mallem:
Deuorat hic viuos, proiecta cadauera corui.
Debenti numos cuiquam ſuccedere noli:
Sæpe ſolent vades inopem deducere vitam.
Arma nihil proſunt ſine conſilio ſapientum,
Ne fidas igitur magnæ ſtultæq́, caterue.
Conſilio recto pauci plures ſuperabunt.
Quiruit in pugnam temere, calcabitur hoſti.
Prælia non ſubeas, niſi cum victoria tecum eſt,
Aut quum non poteris pugnam vitare coactus.
Culto agro nihil eſſe poteſt ornatius, atque
Vberius, tibi cura tui non deſit agelli.
Quippe Senatores olim ſua rura colebant.
Hinc Cincinatus Dictator factus arando eſt.
Fruſtra aliquid faciens, nulla emolumenta ſequendo
Is vel ineptus erit, vel nulla negotia habebit.
Hi faciunt aliquid quorum ſit prompta voluntas,
Vel quibus ars fuerit faciendi diſce, veliſq́,
Si facis inuitus, leuior res aſpera fiet.
Res dura apparet mollis, ſi ſponte labores.
Si laudare velis aliquem prius inſpice, qualem
Commendes, tribuat ne mox tibi dedecus ille.
Pectoris ipſe tui cuinam ſecreta reueles,
Inſpice: ſi qua prior taceas, alter reticebit.
Secretum, quodcunque tibi committitur, vlli
Celato ſemper, licet ira ſcaris in illum.
Ad ſummum nitens aſcendere, conſpice ne tu

Cum ramis recidis, quos iam comprenderis altè.
Solus iter facito nunquam, securior ibis:
Sunt grassatores, sunt mille pericula casus.
Quatuor haud vnquam satiantur, cautior esto:
Infernus, vulua, & tellus, vulcania flamma.
Quatuor vsq; latent, colubri via marmore dicta,
Aëhere lapsus auis, mari puppis, iter puerorum.
Fraudi ne credas mulierbri. quod meretricis
Mellea lingua tenet, sub dentibus atra venena.
Infamis fuerit, scortum qui nutrit, inopsq;
Magna pudicitiæ laus est, ne spreueris illam.
Aedificat sapiens mulier, quod destruit amens:
Insani capitis mulierem legimus esse.
Vxoris proprium pudor est, probitasq; fidesq;
Forma breui durat, spacio carpente decorē.
Quamprimum morbis adhibenda est cura medēdis:
Nam mora sæpe nocet, crescente malo perit ager.
Nil agrum reficit magè quam præsentia amici,
Re simul & verbis ager foueatur amicus.
Aera vitabis crassum purum tenuémque
Delige, acutus eris multò, plus iuuior atq;
Victus item crassus tollet tibi mentis acumen:
Ergo velis tenui facili quoq; vescier esca.
Ante oculos iacitur nequicquam rete volantum,
Frustra igitur tentas sapientem ludere velle.
Perfidus haud vllius meritis placabitur vnquam,
Amittes igitur quicquid donaueris illi.
Quæ sunt ad victum, debes multo antè parare
Quam tibi defuerint, constat bunt quippe minoris.
Tela tibi, clypei, galeæ, thoraces ementur

Anci

Anciptiti clauso melius, quàm Marte furenti.
Paret apes vltrò regi, comitatur eúntem,
Tu refugis parere tuo, te dignior illa,
Scriptor erit nemo tam circumspectus, vt idem
Non labet interdũ, quandoq; hinc dormit Homerus.

IVSTITIAE OFFICIA.

IVsticia munus fuerit, non ladere quenquam:
Vnicuiq; suum ius reddere Iusti sit.
Iustitiæ splendor virtutis maximus hæret:
Inde bonus frater, qui iustus, quiq; benignus.
Iustitiæ radix, fundamentumq; sit illud.
Ne facias vlli, quæ tu tolerare nequires.
Si quis inauditis ambabus partibus, vllum
Iudicium profert, (iustum licet) extat iniquus.
Te verum & pietas, oro ne deserat vnquam:
Omnibus vt placeas, à te scelus omne fugato.
Mentiri solito verum non creditur vlli:
Qui cupit amplecti, vitet mendacia vana.
Quod verum, simplex, syncerum, conuenit amplæ
Naturæ humanæ, sis verus, quoq; simplex.
Ipsa locum pietas vllum non posset habere
Ni scelus accideret, nisi quis præcauerit ante.
Cuiq; homini vitium certum natura seruat:
Hic iracundus, vs mendax ille superbus.
Pauperis, ille Deum, qui quis miseretur, honorat,
Esto pius miseris, tibi quo pia numina fiant.
Impius est odio mortalibus atq; supernis:
Vt placeas terræ, & cœlo pius esse memento.
Iusti animam dominus nutrit, lætabitur illa:
Iustus eris, saturat quo te Deus, ac tua seruet.

Impietatis enim thesaurus ladit habentem,
Iustitia vero thesaurus morte tuetur.
Qui fuerit simplex, fuerit qui cultor honesti,
Ille colet terram: terra pelletur iniquus.
Qui domino seruit, lætabitur: impius omnis
Tartara sæua petens, regno priuatur Olympi.
Crimina qui cœlant, renuentes illa fateri,
Ima petent miseri, cœlestia regna fatentes.
Impius haud dormit, nisi cùm malefecerit vlli:
At patietur idem, peioraq; sortè subibit.
Si plus in terra recipit peccator iniquus,
Quo magis accipiet, quanto maiora meretur
Dicere non satis est: culpæ me pœnitet omnis,
Pœna opus est aliqua, ne tu, reliqui ue, recurras:
In cruce fur pendet spectanti exempla daturus.
Ne furtum facias, scelus id nam turpius omni.
Qui bona cuiusquam furto subtraxerit, aut vi,
Supplicia expendent, nisi restituatur ad vnguem.
Qui prodesse potest, succurrere qui perituro,
Occidit si non succurrerit, estq; homicida.
Denegat auxilium misero quicunq; petenti,
Queret idem frustra, meminerunt omnia cœli.
Nemo fidem fallens, maius scelus edere posset.
Sancta fides igitur tibi sit, promissio facta.
Fidus homo cunctis gratissimus est & amicus,
Infidus cuiq; est odio, cuiq; est inimicus.
Dictorum pactiq; fides, constantia fertur:
Promittens aliquid, totum constanter adimple.
Depositum quocunq; tenes, seruetur amicè:
Turpe magis nihil est homini, quam fallere amicum.

D.

Depositum quandoq; fuit non reddere iustum:
Depositum minime reddendum homini furioso.
Promissum seruare decet non semper amico:
Si tibi promissum noceat plus q̃ iuuet illum.
Promittens aliquid formidine fraudéue captus,
Iura quidem, legesq; negant, tenearis ad illud.
Oblatum superis pergratus reddito votum:
Displicet æterno regi promissio vana.
Non nobis solùm nati sumus, ergo fauere
Debemus patriæ, vel amicis, vel cuicunq;
Omnia quæ terræ gignunt, homini generatur:
Ast homines hominum causa, vt foueatur vtrinque
Dicitur iniustus cupiens offendere quenquam:
Dicitur iniustus spernens defendere pressos.
Differt consultò, subitóne iniuria fiat,
Est leuior subito motu quæ iniuria fertur.
Quod semel exactum est, iterum non exigat vllus.
Non decet alterius iactura cogere nummos.
Contra iura nihil merceris, nam malè partæ,
Labuntur facili cliuo, & quasi cera liquescunt.
Ancillæ serui sq; tuis da quicquid oportet,
Viuito cum seruis clementer, viue benignè.
Serui sunt homines, & eodem semine quo tu,
Cuntubernales sunt serui, humiles & amici.
Plurima des illi, qui te dilexerit amplè:
Ignotoq; etiam faueas virtuti referto.
Infami non detur honor, non vlla potestas,
Præmia virtuti solùm debentur honoris.
Præcipue debes illi præstare fauorem,
Qui magis indigeat, cui desint commoda vitæ.

Dilige

Dilige præcipuè patriam, post deinde parentes,
Hinc natos, totamq; domum, charosq; propinquos:
Dilige quoscunq; vt fratres, nulliq; nocebis.
Pacis amans quocunq; velit securus adibit.
Displicet vsq; Deo, quodcunq; est pondus iniquum:
Omnibus in rebus domino seruire memento.
Cùm subito valeas aliquid præstare petenti,
Ne dicas illi, vade atq; reuertere cras: da.
Cœlanti triticum domino, maledicitur illis:
At benedicitur ijs, qui vendunt, quiq; pij sunt.
Cùm tibi confidat, mala nulla parabis amico:
Detrahe nec dictis nec factis illius vnquam.
Cordis eget mentisq; bonæ, qui spernit amicum:
Diues erit, multos quicunq; est nactus amicos.
Prospera dum taxat falsi sectantur amici:
Diffugiunt hyemem, tu constans dilige semper.
Alter amicus ego est, anima vna in corpore bino:
Ad plenum fœlix, verum qui nactus amicum.
Munera delectant homines, & numina diuum:
Munere magnanimi sæpe acquiruntur amici.
Plurima quo teneas, impendere parua memento:
Maxima sæpe tibi referent munuscula parua.
Dilige vicinos, poterunt hi semper adesse:
Congregat vna homines alterni causa fauoris.
Vicinus melior iuxta te, fratre remotò:
Omnibus in rebus vicino cuiq; fauendum.
Iniustè cupias nullum accusare: solebat
Non iure accusans Persis punirier ample.
Alterius mauult reprendi crimina quisq;
Quam sua, veladum quodcunq; est crimen amici,

Alte-

Alterius cupiens paruos reprendere mores,
Is vitio debet quocunq; carere nefando.
Qui cupit alterius vitium reprendere, tangat
Ante suum pectus, post hæc consideret illud.
Gratia virtutum cunctarum maxima fertur:
Inde nihil malis, quàm te gratum esse videri.
Tum re, tumq; animo debes gratissimus esse,
Hac re dignus eris prompte cuiusq; fauore.
Gratia plus multo reddat, quàm sumpseris ipse:
Pinguis ager veluti referas tu plura benignus.
Assiduo pueros peccantes verbere cade:
Corrige, nam prauos nimis indulgentia reddit.
Praua bono, iustoq; viro potuere placere
Nunquam: discipulos hac re natosq; coerce.
Dilecti nati tundendum est corpus acerbè:
Ad mala nutritur, nimio cui parcis amore.
Erudit instanter natum, qui diligit, at qui
Illum odit, virgæ parcit, quæcunq; ferendo.
Sponte puer nolens studijs impendere curam,
Sæpe minis, ferulaq; pia cogendus, acerbis.
Sæpius indociles, tardosq; monere memento:
Impetus, atq; minæ pueris, & verbera prosunt.
Si peperit coniunx, tunc illa sit integra mater,
Imperfecta quidem mater, nulla vbera præbens.
Nutrit illa prius, quòd non cernebat in aluo:
Iam noscens hominem viuentem pellit ab vlnis.
Vbera mammarum tribuit natura puellis,
Natorum causa, non formæ siue decoris.
Ceu similem format membris, animoq; parentum
Semen, sic etiam lactis natura figurat.

Haud

Haud homini tantùm pecudi simul euenit istud,
Alterius quoties nutritur lacte animantis.
Lac ouium potante hedo, capræ simul agno:
Lanitium tenerum venit illi, durius agno.
Ingenium altricis quapropter vis quoq; lactis,
Partem etiam magnam reninent in moribus ipsis.
Pallida erat nutrix Syluani, pallida nati
Membra sui, credas igitur quæcunq; notaui.

¶ Fortitudinis, Magnanimitatisque officia.

FOrtitudo viri proprie est, & maxima virtus:
Est autem mortis contemptio siue doloris.
Cui fortitudo non est, vir fœmina habetur.
Virtuti nomen vir dat, nam fertur idipso.
Fortitudo quidem propiè virtus vocitatur,
Nam reliquas superat, spernens mortalia cuncta:
Inferiora putat se cuncta humana vir ipse
Magnanimus, fortisq; simul, nam despicit illa.
Magnanimos, forteſq; viros Plato dixit haberi
Veros, atq; bonos, & simplicitatis amicos.
Magnanimi non sunt, fallaces siue nocentes,
Sed veri, atq; boni, misero cuicunq; fauentes.
Magnus quippe animus nil optat, propter honestum:
Succumbit nulli fortunæ, humanaq; temnit.
Ardua magnanimus, fortisq; & plena laborum
Aggreditur, studio vitæ patriæq; tuendæ.
Splendidius nil est illo, quod fiet ab vllo
Magno animo, elatoq; humanáue dispicienti.
Ignauus ideo fertur: virgo illa virilem,
Vos autem iuuenes animum geretis muliebrem.

Op-

Opprimit ingenium pudor, ast audacia firmat.
Omnibus in rebus melior quicunq; sit audens.
Fortiter incipias, audacia murus habetur.
Qui fuerit timidus, facit laudabile nunquam.
Ignauos fortuna premit: tolluntur in altum
Magnanimi, fortesq; viri, subeundo labores.
Fortis, non timidus, non audax esto sed audens.
Forti est vtendum ratione in rebus agendis.
Irasci noli domino reprensus: amatur
Ab domino quicunq; suo reprenditur, idem
Qui patiens fuerit, sese ratione gubernat.
Insipiens nulla poterit ratione teneri.
Noli vindictam, sæpe obfuit vltio facta.
Magnanimus parcit, vindictâ fœmina gaudet.
Qui damno alterius lætatur, sentiet ipse.
Iactura socij doleas, lætare secundis.
Qui tuus est, alijs nunqnam donabis honorem:
Despiciens sese nunquam venerabitur vlli.
Formicæ nullo didicerunt grana magistro
Ferre domum, piger est, quicunq; fame capietur:
Vult piger & non vult: operans pinguscit opimè.
Qui piger est, tristi macie tenuabitur ille.
Qui piger extimuit frigus, nec arauit ob illud
A Estate, esuriens frustra rogitabit amicos.
Alto sole iacens, vitam consumit inertem:
Fiet inops, tu surge prius quam venerit æthon.
Qui citiùs surgunt, agiles & dexteriores
Euadunt, laudemq; parant, & commoda vitæ.
Ostia ceu proprio vertuntur cardine, deses
Haud aliter molli verti solet ipse grabato.

Quæ facienda tibi (mora læserit) expediantur:
Quod cœnes, serua, non quod tamen instat agendum.
Nec tu fortuna nimium confide secundæ:
Præteritis meliora malis spirare memento.
Cùm tuleris grauiora, malis præsentibus, isthæc
Fortiter excipias, donabitur his quoq; finis.
Est humanarum rerum, quo voluitur vsq;
Circulus, inde diu nemo est miser atq; beatus.
Nullaq; sors homini longa est, dolor atq; voluptas
Alternis cedunt, breuior tamen ipsa voluptas,
Altius euexit quo te fortuna, ruinam
Maiorem timeas, nulli est fortuna fidelis.
Diuitijs fidens is corruet, & sapiens
Seruiet insanus, diues licet ille sit Irus.
Tempore cui longo vita est, aduersa subire
Cogitur, hinc breuior vita est, iucundior illa.
Mors male viuentis grauis est, iusto cuicunq;
Principium vitæ fœlicis, meta laborum.
Mortuus ad vitam nunquam reuocabitur vllus:
Quid prosunt lachrimæ, gemitus, suspiria, luctus.
Omnia tempus habent, cedunt sibi cuncta vicissim,
Nascendi tempus, moriendi tempus habetur.
Doctus, & indoctus moritur, discrimine nullo:
Impius atq; pius morti debentur eidem:
Est nihil æternum, cunctis mors imminet atra:
Sola quidem virtus, gestorum gloria viuet.
Iunior exerce ingenium, ne sperne laborem:
Iunior acquiras, quibus indiget ægra senectus.
Quilibet exercens, sese ipsum rebus honestis,
Obliuiscetur totius nempe laboris.

Qui-

Quicunque exercet vanis & turpibus, illi
Deficit oblectamentum, laſſuſq; reſiſtet.
Tadia non refugit cupiens virtutis honorem.
Qui ſtudium curamq; fugit ſpernetur vbiq;.
Proſpera cuncta viro vigilanti, & recta ſequenti
Succedunt: vigila, tibi conſule, recta ſequaris.
Errauit quicunque ſemel, malus vſq; putatur.
Eſto bonus ſemper, ſemper reputaberis idem.
In cœlo bona ſunt, quæcunque mala hîc reputantur.
Scribitur Euripidi talis ſententia Græco,
Cuncta quidem toleranda tibi patienter amara.
Conſtituit dominus patienti præmia cœli:
Qui mala præſenti tolerant, aduerſaq; ſæclo,
Mercedem capient cœleſtia regna laborum.
Viginti puer ipſe annos, totidemq; adoleſcens:
Tot inuenis, totidemq; ſenex (Samius dat) habebit.
Eſt ſimilis veri puer, ætatiq; adoleſcens.
Autumno atq; hyemi ſimiles, inueniſq; ſenexq;:
Qualibet officium ſeruet ætate decorum.
Actio virtutis nullo tibi tempore deſit.
Semper agas aliquid, ſudore laboreq; multo
Acquiruntur opes: ſtudio doctrina decuſq;.
Nulla dies tibi ſegnis eat, longeq; pigebit
More Catonis, vbi lux pigro fulſit inanis:
Pœnituit naui, pedibus quo pergeret iſſe:
Amiſiſſe diem: mulieri arcana tuliſſe.
Eſt cum diuitijs longè ſapientia quæq;
Vtilior: Periander inops ſpernetur vbiq;.
Diuitis obſequio vel munere, non mouearis:
Iudicis occæcant oculos munuſcula ſæpe.

Vtile nec dicas, quod turpe est, siue inhonestum:
Ditari spolijs alienis vtile non est.
Gloria dat vires, poteris hæc alta tenere,
Ima petens, nusquam laudemq; decusq; mereturi.
In stadio currens, eniti vincere debet:
Supplãtare aliquem vel trudere non licet vlli.
Viribus ipse tuis, imbellem despice nunquam.
Ipse auium quandoq; leo cibus est minimarum.
Tam firmum nihil est, cui non aliquando nocerit
Possit ac inualido, perimit vel araneus anguem.
Nec timeas vllum clamore minisq; furentem:
Namq; timens latrat vehementius, haud ferit vnq̃.
Fortius est omni muro conuictus amantum
Se fratrum: conuiue tuis cum fratribus vsq;:
Stupea quæ triplici nectuntur vincula filo,
Dificile est rumpi: tres vel duo sunt mage fortes.
Esse tuum credas frater quod possidet omne.
Dilige, nam frater ferme alter dicitur esse.
Bellum suscipias quærendæ pacis amore.
Magnanimus terret, timidus spernetur ab hoste.
Absq; vlla causa nunquam te oppone periclo:
Est in tranquillo dementis poscere fluctus.
Aggrediens aliquid faciendum, consule honestum
An sit: deinde vide faciendi sit ne facultas.
Nil tu committas quandoq; vt dicere possis,
Hoc mihi non vnquam contingere posse putaram.
Prælia cautus ini, quoties pugnare necesse:
Non nisi prudenter subeunda pericula vitæ.
Promptior ad pugnas animum pro laude pararis,
Quàm pro diuitijs quærendis, siue tuendis.

Pro patria vitam, non ſolùm funde reposta
Commoda, nec patriæ tacea formidine preſſus,
Si patriæ rector fueris, defendito ciues,
Iure omnes æquo tollentur ſeditiones.
Pax erit in populo, quoties eſt omnibus æqua
Iuſtitia, ergo lucrum fugies, dum iura miniſtras.
In patriæ cura clemens ſis, at q3 ſeuerus,
Manſuetis clemens, verùm grauis eſto nefandis.
Dedecet ira, furor, populi qui iura gubernat:
Præclaroq3 viro clementia cedet honori.
Qui pariter peccant, pariter punire memento:
Nec ſtatua ſulli maiorem crimine pœnam.
Ira procul cedat, ſi quem punire parabis,
Iuſtitiam nequit iratus ſeruare modumq3.
Sint legum ſimiles qui publica munera curant.
Lex venit ad pœnam clementer, non furioſe,
Non te præcipitet furor vllus, mente quieta
Cuncta gera, placido vita eſt fœlicior omni.
Principe conſtanti vulgus lætabitur omne:
Iniuſto rectore viri matresq3 dolebunt.
Inuiſum imperium longo non tempore durat,
Non aurum, ſed amicus erit cuſtodia regni.

¶ TEMPERANTIÆ, Modeſtiæque officia.

ORdo moduſq3 ſimul rerum, pudor ipſe decorus,
Turbatiq3 animi ſedatio te comitentur.
In dictis factisq3 tuis ſeruabitur ordo,
Ordine peruerſo, nulla actio ritè paratur.
Incipiens aliquid, finem conſideret antè:
Dicidit in laqueos, qui cæco pectore fertur.

Mens hominis diſcẽdo alitur, menditanſq; requirit
Quod decet in vita: tecum mediteris agenda.
Mens animumſq; tuus nil quicquam præter honeſtũ
Cogitet, effugiens hoc pacto dedecus omne:
Id ſolum petito, quod nulli iure negares.
Quod tibi concedi malles, concede roganti.
Nil facias vnquam diceſue, obſtante Minerua:
Hoc eſt, nil facito quoties natura repugnat.
Quiſq; ſuum ingenium noſcat, ſua robora quiſq;:
Sic modus in rebus ſeruabitur ille decorus.
Sermo tuus lepidus, comis, iucundus, honeſtus,
Non aſper, non durus erit, non turpia narret.
Moribus ille tuis pluſquam ſermone iuuetur
Qui tecum veniet, quocunq; it, ſiue moratur.
In multiloquio peccatur ſæpiùs, inde
Pauca loqui debes, potiùs audire loquentem.
Quiſq; tacere nequit ſtultus ſapiens q; putatur
Quum tacet: ergo velis ſapiens non ſtultus haberi.
Panca loqui prudens, audire q; plurima debet:
Os vnum, bina ſq; aures idcirco tenemus.
Suſcitat ingentem prædurus ſermo furorem,
Terribilem q; iram frangit reſponſio mollis:
Quolibet in verbo ac actu mens eſto quieta.
Ira procul tendat, furor, impatientia, pax ſit:
Iratus poterit, laudabile nil operari.
Ira animum turbans occæcat lumina mentis.
Intempeſtiuus vel ineptus & immoderatus
Damnatur riſus, decuit grauis atq; modeſtus.
Ex facili victus tibi ſit, præcioſa relinque.
Quere fame guſtum, conditos temne ſapores.

Darius

Darius fugiens, ſicco pulmone cruentam
Hauſit aquam: potus ſibi dulcior haud fuit vnquam:
Quale lucrum fuerit, talis tibi cœna paretur:
Ne plus impendas, patitur quàm parua ſupellex.
Conualet ægrotus tenui ſolummodo victu.
Sanus eris ſemper tenui ſi veſceris eſca:
Nil animum corpusq́ viri ſic obruit vnquam
Vt plenus venter, ructus ſonitumq́ remittens:
Sic etenim fies robuſtior, atq́ valebis.
Qui emungit nares in Perſide, qui ſpuit, aut quĩ
Egeſtum pergit, vel mictum, turpis habetur.
At qui nil horum committere cernitur, is ſe
Continet à victu nimio, laudeſq́ meretur.
Sic parcè Socrates vitam ducebat Athenis,
Vt ſolus victu nunquam ægrotàrit honeſto.
Nulla placent domi ac tenuis ieiunia menſæ:
Quantum lætificat nullum committere crimen.
Laudibus extollant alij tua geſta, tacendum
Eſt tibi: ſordeſcit proprio laus ore relata.
Gratia manſuetis domino tribuetur Olympi.
Quiſq́ ſuperbus erit, cœleſti fauore carebit.
Eſt humilis ſapiens, inſanus quiſq́ ſuperbus.
Clementis vita eſt iucundior atq́ ſuperbi.
Fert odium rixas, fert cædes, dilige quenque.
Pax, amor, in cunctos vitam tribuere ſecundam.
Perpetuo cupiens tranquillam degere vitam,
Abſtineat vetitis, patiatur quæq́ ferenda.
Vir mendax, litemq́ ferens, crudelis, auarus
Eſt odio regi cœlorum, tu bonus eſto.
Vxorem quicunq́ ſuam vult eſſe pudicam,

Improbus eſt, niſi ſeruat idem, quod poſcit ab illa.
Vxorem alterius tangens immundus habetur:
Qui cupit ergo ſibi laudem q; decuſq; caueto:
Nec ſolùm dominus præcepit crimen haberi
Vxorem alterius contingere, ſed meretricem.
Diliget alterius miſer eſt quicunq; figurem.
Fœlix, qui ſubitò flammas extinguit amorum.
Conualet agrotus veteri ſtatione recedens:
Captus amore procul fugiens, ſanus remeabit.
Abſtineas oculis, Darij vt cernere pulchram
Noluit vxorem Macedo, quo caſtior eſſet.
Vritur vt ſubitò Vulcani lumina tangens,
Non ſecus à tactu muliebri corda virorum.
Noſtrum plus alijs placet: at nobis alienum:
Sorte tua contentus eris, quæcunq; ſit illa.
Gaudia nulla homini tam proſpera dantur, vt illis
Mel ſine felle inſit, ſine luctu nulla voluptas.
Alterius peccata velis cognoſcere nunquam,
Nam tua cœlare eſt potius, quàm ſcire aliena.
Tu domui, non illa tibi, ſit, nate, decori:
Ne tibi Ariſtippus faciem deturpet inerti.
Diuitias vitæ cauſa molire tuendæ:
Quod ſatis eſt cupias, inſit tibi nulla libido.
Non adeò cura eſt vitæ præſentis habenda,
Vt capiat mentem ventura obliuio vitæ.
Si dines fueris, delicti non eris expers,
Ni cupis & miſeris & egenis eſſe benignus.
Poſſe bonis vti præſentibus atq; futuris
Dificile eſt, petitur cœlum virtute labore,
Diuitijs multi perierunt, robore quidam.

Sepe

Sæpe ſolent igitur nobis bona noſtra nocere.
Parua magis iucunda venit, quam multa ſuppellex:
Anxius eſt diues ſupra armentis gregibuſq;.
Multi in diuitijs inopes occurrere poſſint:
Parcit enim gazæ, vt diues moriatur auarus.
Diuitijs ſapiens dominatur, ſeruit ineptus:
Diuitijs noli cor ponere, ſi quis abundas.
Non ego fœlices reputo, quibus adfluit aurum:
Ni ſcierint vti, fueritq; id iure paratum.
Nullo animus lucro pingui ſatiatur auarus:
Ipſe Crates aurum abiecit virtutis amore.
Pauper eris nunquam naturam ritè ſequendo:
Exiguum natura cupit, multumq; libido.
Naturæ ſatis eſt fluuius, ſat poma vel herba.
Vtere natura, poteris ſic eſſe beatus.
Exultet pauper, grates agat omnipotenti,
Liber enim multis patrimonî nexibus ille.
Paupertas vrbes muniuit, reperit artes,
Paupertate ſapit Socrates, Plato, cæcus Homerus.
Eſt odio pauper cunctis, affinibus atq;:
Diligitur diues, tu quenq; bonum tuearis.
Nemo cum propriis curare aliena valebit:
Rerum alienarum cura eſt grauis, atq; moleſta.
Seu pila delectat, ſiue alea, lude parumper
Ludere non turpe eſt, parco ſi tempore ſiat.
Nil imprudenter faciendum, fortuitóue:
Non ludo atq; ioco, ſumus ad grauiora creati.
Quiſq; Deum metuens, recto qui tramite pergit
Spernitur a prauis, tu dilige ſemper honeſta.
Eſt adoleſcentis maiores ſe reuereri:

Conſi-

Consilio q3 frui sapientum quolibet actu.
Corporeus labor est seniori diminuendus:
Exercere animum senior, non corpora debet.
Consilio senior iuuenes, patriam q3 iuuabit:
Effugiat senior, languorem, desidiam q3.
Dedecet ipsa Venus quemcunq3 magis seniorem:
Luxuriant iuuenes, longæui exempla sequendo.
Parturiens hominem coaspectum vitat asella:
Committunt homines vulgò turpissima quæq3.
Pergit apes longè, quoties emittit olerum,
Egerit ante thorum, vel mensa, vir mulierque
Munditiæ tibi sint vestitus, aut faciei,
Quas laudat sapiens, non quas reprendere possit.
Incedit sapiens, non ambulat, ergo caue bis
Ingressum celerem, vel tardum. sume decentem.
Esto pudicitiæ, vitæq3 exemplar honestæ,
Sermone, ingressu, visu, gestuq3 decenti.
Hi tecum maneant, quorum sit vita pudica:
Infames procul esse velis, procul ire iubeto.
Tullius instituit præceptis officiorum,
Quem gemuit: prosamq3 illi, non carmina misit.
Carmine fit longè breuior sententia, menti
Longius hinc hærent, quæ carmine ritè notantur.
Idcirco, fili, de moribus officijsq3
Carmen habes, tu disce simul cum fratribus illud.
Hæc intra luces viginti lusimus, at tu
Intra annum discens prudens eris, atq3 modestus.

FINIS.

B. pag. 16. vers. 1. pro suprat corporis, lege superat corpus